

QUOMODO
SEPULCRA TANAGRÆI
DECORAVERINT

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

B. HAUSSOULLIER

GALLICÆ QUÆ EST ATHENIS SCHOLÆ NUPER SOCIUS

Bibliothèque Maison de l'Orient



167020

PARISIIS
APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM
7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7
—
MDCCLXXXIV

Alberto DUMONT

STUDIORUM MEORUM

FAUTORI SUASORI

BENIGNISSIMO

D. D. D.

GRATISSIMUS AUCTOR

PROOEMIUM

Commoranti mihi in Græcia (1877-1880) et quibus præsertim studerem inquirenti, hoc singulare visum est quam multis locis parva tum conderentur musea, in quibus, *Societatis Archæologicæ* opera et impensis, adservarentur quæcumque vel in vicis sparsa murisque domuum et ecclesiarum non sine integritatis damno infixæ reperirent custodes, vel in agris agricolæ effoderent. Neminem enim fugit quantum ad suum cuique tribuendum conferant vernacula ista musea (1). Cum in museis atheniensibus toties in ambiguo sit unde res adlatæ fuerint, in Olympiaco, in Lacedæmonio, in Tegeatico, in Eleusinio, in Thebano, in Thespiensi, in Tanagræo (cetera omitto) nullus est dubitationi locus: quod maximi momenti esse liquet, cum præsertim e statuis et anaglyphis, e sigillis figlinis et vasis, certam disciplinam et artem definire propositum in animo habes.

Olympiaco omisso, quod condendum Societas Archæologica non curavit, duo ante omnia et multitu-

(1) Vox quidem ambitiosa est cum sæpius nullo ordine coæcervata omnia sint in privata quadam domo aut in schola aut in « demarchia. »

dine et varietate notabiliorum rerum eminebant musea, Lacedæmonia quidem et Bœotica. Lacedæmonia cum iam descripsissent alii (1), Bœotiam obtinuimus. Quam anno 1878 primum invisere me iuvat et Tanagræorum (nunc Skhimatariotarum) Thebanorumque et Thespiensium (nunc Erimokastriotarum) musea describere, cum nihil aliud nisi accuratissimos indices instruerem et ectypa colligerem, ratus ab his initium capiendum esse.

Primo, cum Athenas redux indices istos conferrem et sæpius evolverem, mihi venit in mentem inquirere quousque apud Bœotos peculiaris ars et disciplina exstiterint. Cum autem longius mihi videretur opus, cum præterea constaret quæ in Bœoticis museis descripsissem anaglypha et statuas sepulcralia pleraque esse, cum deinde compertum haberem partem maximam Tanagræ repertam fuisse, angustioribus contentus finibus, id attigi : quomodo sepulcra Tanagræi decoraverint.

Nec me hoc aggredientem fugiebat fere neminem antea græca sepulcra et indagaciones diligenter descripsisse (2), neque ullas Tanagræis maiores effossas fuisse necropoleis (3). Propositum igitur fuit mihi,

(1) H. Dressel et A. Milchhœfer, in *Mittheilungen des deutschen archäologischen Institutes in Athen*, II (1877) : Die antiken Kunstwerke aus Sparta und Umgebung, p. 293-474.

(2) Quæ luculenter deinde descripserunt qui Myrinis indagacionibus in Asia præfuere, viri amicissimi E. Pottier et S. Reinach. De quibus vide *Bulletin de correspondance hellénique*, VI (1882), p. 197 et seq.; præsertim p. 388 et seq.; 557 et seq.

(3) Græcum illud vocabulum usurpemus necesse est : nec placuit

postquam Tanagræorum necropoleis definierim, cippos et anaglypha et sepulcra ipsa et sepulcralem suppellectilem describere, non omnia quidem eadem curiositate prosequenti sed eorum præsertim studioso, quæ Bœotorum peculiaria mihi viderentur.

Diutius ergo Tanagræ commoratus sum, i. e. in vico Skhimatario qui oppido antiquo proximus est, neque obiter musea delibavi, quippe qui omnia descripserim et congestos cippos discreverim et coacervatos titulos excitaverim. Nec non agricolis usus sum, quorum et domus et agros sæpe inviserim fructum e continuis sermonibus percipiens, cum indagationum tam studiosi sepulcrorumque periti sint. Fama erat olim Tanagram peregrinos quam benignissime excipere solitam esse, cum et fortunis abundaret et hospitii religiosissima foret, auctore Dicæarcho (1) : « Iustitiam, fidem atque hospitii ius religiose observant; popularibus suis egenis et peregrinis etiam mendicis vagabundis opum suarum quasi libamina offerunt et liberaliter erogant, ab omni denique turpi lucro abhorrent. Nulla per totam Bœotiam urbs est, in qua tutius possint commorari peregrini; adest enim rigidum et acerbum in improbos odium, eo quod incolæ sorte sua contenti vivant et laboribus sese exerceant. Neque enim ulli intemperantiæ generi vei minimum deditos esse illos animadverti, quæ ple-

nobis latina vox cœmeterium quæ quanquam e græco sermone translata Christianos tantum decet, nec ad longiores verborum ambages confugere expediebat, quas totiens deinde repetere oportuit.

(1) *Historicorum Græcorum fragmenta*, ed. Didot, II, p. 257, § 9 et seq.

runque causa est maximorum inter homines scelerum. » Transiit iam aurea illa ætas! Nec divitiis adfluunt Skhimatariotæ qui tamen cum diutius te usi fuerint officiosissimi fiunt, quique versuti sunt et faceti : non enim crassum est Skhimatarianum aer, sed purum et splendido sub cælo acre, nec non hieme frigidissimum cum sol supra Eubœam oriens et Delphii montis qui Eubœæ summus est et Parnasi nives illustrat.

Libello adiectæ sunt vii tabulæ, quarum primam delineavimus ipsi, tabulis usi quas ediderunt viri Galli (1); alias galli architecti, II-V, E. Loviot (commentariis meis et rudioribus imaginibus usus), VI-VII, E. Paulin (in museo Parisino). Quibus gratias agere non me parum iuvat, cum et Romæ et Athenis una vixerimus deturque mihi virorum amicissimorum nomina consocianti iucundissimorum itinerum memoriam excitare.

(1) Carte de la Grèce publiée par le dépôt de la guerre 1852.

QUOMODO
SEPULCRA TANAGRÆI
DECORAVÉRINT

PARS PRIOR

De Tanagræorum necropolesi

Cum quarto a. C. n. sæculo, Dicæarchus Messenius ex Attica profectus Bœotiam inviseret, initium cepit ab Oropo, unde in Asopi vallem et in Tanagræum campum, cui nomen olim *Ταναγραϊκὴ μοῖρα* (1), contendit. xxx stadia inter Tanagram et Oropum interesse monet iterque per regionem oleis consitam et sylvosam atque omni a latronibus metu liberam pergere (2).

Compertum habemus viam sinistræ fluminis ripæ instituisse, unde, paulo antequam ad urbem perveniret, traiecto minore rivo cui nomen erat Thermodon (hodie Lari) quique in Asopum ante mœnia influit,

(1) Herodot., V, 57. Cf. E. Scholderer, *Tanagræarum antiquitatum specimen*. Dissertatio inauguralis. Berlin, 1855, p. 16 et seq.

(2) *Histor. Græc. fragm.*, II, p. 257, § 8.

vergebat ad Thebas, orientem versus, præter montem quem Tanagræi Κηρύκειον ὄρος appellabant (1).

Cuius sub radicibus, qua parte mons spectat ad occasum solis, exsurgit Tanagra, quam Dicæarchus, cum ad Thermodontem adpropinquaret, prospicit. Urbem refert præruptam et quasi sublimem instare, superficie alba et argillacea splendentem (2). Scimus præterea superiore in parte templa deorum seorsum eminuisse, inferiorem intra mœnia clausam incoluisse Tanagræos (3).

Quæ fuerit incolarum multitudo et e scriptoribus tenemus (4) et facile nunc agnoverit si quis mœnia adhuc exstantia circumierit aut ingentes illas perlustraverit necropoleis, in quibus insistere et immorari nobis propositum est.

Quarum unam, cum ab Oropo veniret, iam viderat Dicæarchus. Etenim in humiliore illo colle, qui Cerycio monti contrarius citra Thermodontem, præter sinistram Asopi ripam, adsurgit, Tanagræi permulta sepulcra olim infoderant, quorum vestigia quarto a. C. n. sæculo superfuisse verisimile est, aut anaglypha aut semirutos cippos : quæ quidem non memoravit Dicæarchus. Quid mirum, cum iamdudum extra tot urbium mœnia sepulcra cernere adsueverit et ne at-

(1) Vide tab. 1. Cf. Bursian, *Geographie von Griechenland* (1862), I, p. 221. Taf. 1 : Ruinen von Tanagra.

(2) Λευκή δὲ τῇ ἐπιφανείᾳ καὶ ἀργιλλώδης. Dicæarch., *H. G. F.*, II, p. 257, § 8. Thebæ autem nigræ adparebant : « τῇ χροῦ μὲλάνγειος (p. 258, § 12).

(3) Vide Pausaniam, IX, 22, 2.

(4) Cf. Strabon., IX, 2, 5.

tica quidem, quibus continetur in Ceramico Via Sacra, rettulerit! Nobis autem omnia ista vel vilissima discernere interest, et quod peculiarem Bœotorum artem exhibent et quod mores a nostris tantopere discrepantes significant.

§ 1. — *Quibus in partibus sitæ fuerint Tanagræorum necropoleis* (Tab. I).

Quocumque te vertis, simul exieris ab urbe, seu spectas in septentriones aut in orientem solem, seu meridiem versus (quod ad occasum pertinet, mons Cerycius impendet), sepulcra undique invenies, quarum quæ maxime xv circiter stadia (1) ab oppido distant. Facile tamen perlustratis campis, huc et illuc maior sepulcrorum adparet multitudo, et quasi insulas vel potius urbes discernere licet, quas necropoleis vocabant Græci: quarum si non fines recte describere, mediam tamen partem et sedem indicere facilius erit.

I. Invisenda in primis necropolis illa quæ, orientem versus, ex altera parte Thermodontis, ante oppidum, proximum obtinet collem: quem Skhimatariotæ Kokali vocant (Κωκάλι) i. e. ossarium. Summo iugo planities inest, sterilis, tofacea, quam cum publici sit agricolæ Kokali publicum (Κωκάλι ἔθνικόν) appellant: inferiori collis parti nomen indidere privatam Kokali (Κωκάλι ιδίωκτητο).

(1) De quibus vide infra, p. 4, adnot. 1.

In superiore planitie, conferta sunt omnino sepulcra neque ullo ordine effossa, cum hoc relegatum sit a ceteris, illa certo agmine adpareant, et longius procedenti subito desint. Et in summo iugo et per collis partem quæ declivis ad Asopum tendit, ubique Tanagræi sepulcra condiderunt, ita ut inter ceteras necropolis illa celeberrima dici possit (1).

Cui subiecta sunt suburbia, quæ quidem ingentia sunt. Patent enim a septentrionibus XII usque stadia per regionem cui nomina sunt hodie Kokali privatum, S. Georgius, Ambelia, Potistika, Leotrivi, Mavro Vouni. Regionem autem multo feraciorem esse liquet, e nominibus ipsis, Ambeliis i. e. vinetis, Potistikis, i. e. irrigatis: Potistika Thermodontis aquis adluuntur, quæ per rivulos hominum manu diductæ certis diebus agros irrigant, quo modo Cephisus per atticum campum multiplicibus fossis influere cogitur. Cum hic

(1) A doctissimo viro, O. Rayet, dissentimus, qui, cum Tanagram paucis annis antea inviserit, refert sepulcra iuxta vias tantum effossa fuisse, viasque discernit octo, scilicet:

- 1^o Viam quæ Thebas ducebat,
- 2^o Viam quæ Harma et Mycalessum,
- 3^o Viam quæ Chalcida per campum,
- 4^o Viam alteram quæ Chalcida, per Aulida, tendebat,
- 5^o Viam quæ ad templum, Delii situm,
- 6^o Viam quæ Athenas per Oropum,
- 7^o Viam quæ Athenas per Phylon,
- 8^o Viam quæ Platæas.

Quas discernere mihi non licuit, cum pluribus locis viarum vestigia non iam adparerent, seu vinetis et segetibus adoperta, seu recentioribus indagationibus eversa. Quod ad sepulcra, pluribus locis conferta omnino fuisse neque ordine effossa agricolæ monuere. Cf. Rayet, in *Monuments de l'Art Antique*, V^e livraison, XIV.

igitur hortulos et vineta Skhimatariotæ colant, multo difficilius est loca explorare et sepulcra continuo discernere : verisimile tamen est ex utraque parte viæ quæ a Tanagra Aulida ducebat confertiora illa fuisse. Nec non eo loco, quem Mavro Vouni (Nigrum Montem) (1) vocant, duplex agnoscitur sepulcrorum ordo, ex utraque parte viæ quæ nunc ad vicum Skhimatarium, olim Aulida, tendebat. Adiciendum hanc necropolin plus orientem solem versus quam occidentem in latitudinem patere, circa Leotrivi, qui quidem locus incultus est.

Ubi Kokkinia, desinunt sepulcra.

His igitur finibus continetur ingens illa necropolis quæ a publico Kokalio initium cepit : una ex parte, flumine Asopo, altera Thermodonte et via quæ Aulida ducebat, tertia Kokkiniis. Latitudinem definire non licet quæ quidem amplius v stadiis patebat.

An priscorum templorum vel sepulcralium sacellorum vestigiis institerint christiana ea fana quæ S. Georgio et Virgini Sanctissimæ dedicata inter sepulcra ex altera parte Thermodontis exstant, nescimus (2). Superest in superiore parte Kokalii antiquum quoddam pavementum marmore pentelico factum (tab. 1,

(1) Qui colliculus est vel potius agger sterilis arenosusque.

(2) Circa Tanagram, mediis in necropolesi, quattuor exstant fana. Scimus quidem Christianorum ecclesias plerunque iisdem locis institutas fuisse quibus antea deorum templa : non tamen obliviscendum est, quod ad S. Georgium, Virginem Sanctissimam, S. Polycarpum et S. Thoman attinet, Tanagram et sepulcra ipsa suppeditasse amplam Christianis materiam qua usos fuisse eos constat ; mediis enim muris instructos cippos reperis.

a) : quod quidem, quantum sit et qualis ædificii fuerit discernere non licet.

II. Quod si, viam ineuntes quæ ab Aulide Tanagram tendit, oppidum petimus, brevi, traiecto ante Tanagram Thermodonte, altera via occurrit quæ ab Oropo Tanagram ducebat.

Procedentibus nobis versus septentriones, altera necropolis adparet quæ per campum cui nomen est Bali patet. Bali vocant agricolæ planitiem eam quæ una ex parte oppido continetur, altera Thermodonte, tertia via quæ a Skhimatario ad vicum Bratsium ducit : quod ad occidentem solem attinet, mons Malivalesius (Cerycius) obstat. Cuius maximam partem obtinent Skhimatariotæ, Bratsiotæ angulum tantummodo sub radicibus montis incolunt : unde iurgia sæpius oriuntur et odium alitur continuum : crimen prædatio, præda quidquid in sepulcris reperitur (1).

Simul exieris ab urbe, aridis montis declivibus sepulcra insunt. Quæ quidem ordine effossa sunt ex utraque parte viæ : via ipsa antiqua duobus locis (*b*, *c*) agnoscitur, quæ xv circiter passus lata montique propior parumper distat ab hodierna.

Discernitur triplex sepulcrorum ordo, unus et alter

(1) Vix credibile est quantum aliis alii infensi sint. Bratsiotarum mulieribus definita tantum Thermodontis parte vestimenta et pannos abluere licet. Memini semel Skhimatariotarum complures cum armis domo exiisse quia nuntiatum fuisset Bratsiotas quosdam ultra fines suos in alienam campi partem descendisse. Quandiu in vico Skhimatario commoratus sum, Bratsiotam unum vidi. Nec Liatanniatæ Skhimatariotis cariores sunt.

montem inter et viam, alter viam inter et Thermo-
dontem. Quisque circiter x vel xii passus latus est,
et quibusdam locis xxv (*d*), xxviii (*e*).

Supersunt (*f*) vestigia ædificii cuiusdam antiqui :
iacent enim quinque fragmenta doricæ columnæ to-
faceæ, 1 m. crassæ. De quo scimus tantum id prius
iam destructum fuisse quam Christianorum fana ad-
surgerent : compertum enim habemus istis fragmentis
tanquam sepulcralibus cippis usos esse primo forsan
p. C. n. sæculo Tanagræos. Nec non proximum est
fanum S. Polycarpo dedicatum.

Ea est Baliana necropolis, ingens et illa. Prior ini-
tium ceperat a Kokalio colle tofaceo ubi sepulcra ef-
fodere facilius erat, altera a monte Malivalesio qui
constat e lapide nigro durissimo, unde in levio-
rem campum quasi descendit.

Quibus finibus contenta fuerit nescimus. Verisimile
est multo maiorem præter montem quam in campo
fuisse sepulcrorum multitudinem : campus enim fe-
racissimus est refertque Dicæarchus Tanagræos omnes
agriculturæ operam dedisse (1).

At quantacumque spatia obtinuerint Baliana Koka-
lianaque necropoleis, constat artiores Tanagræis
fuisse, quippe qui tertiam condiderint, minorem qui-
dem et minus notam.

III. Ad dextram Asopi ripam, in conspectu molæ
cuiusdam quam non invisisse non potest si quis Ta-
nagram perrexerit, parvum exurgit fanum S. Thomæ

(1) *H. G. F.*, II, p. 257, § 9.

dedicatum, quod e magna parte lapidibus constat a sepulcris et ab oppido detractis.

Campo nomen est Ghelezi : quem obtinent Liataniatæ quorum pagus in alto positus primam euntibus a Tanagra Phylen et Athenas stationem præbet.

Post fanum, meridiem versus (inter meridiem et orientem solem) incipit ordo sepulcrorum, qui non adeo confertus videtur : præmonendum autem recentior modo (anno 1876 forsitan) et ab agricolis tantum exploratam fuisse eam necropolin.

Quanta fuerit, incertum. Quod ad sepulcrorum ordines pertinet, verisimile est ex utraque parte viarum processisse quæ Phylen et Athenas, Deceleiam et Athenas ducebant.

Tres igitur Tanagræorum necropoleis novimus, quas e locis quos occupant appellare expedit : I. Kokalianam, cum suburbiis, orientem versus atque inter orientem et septentriones ; II. Balianam a septentrionibus atque inter septentriones et occidentem ; III. Ghelezianam, versus meridiem (1).

Cum parum verisimile sit Tanagræis a prima origine usitatum fuisse mortuos sine ullo discrimine his tribus locis sepelire, inquirendum, quod difficillimum est, non quo tempore necropolis quæque condita fuerit, sed, quantum licebit, qualis inter ceteras primum incolas, i. e. mortuos, acceperit.

(1) Nomen Ghelezianum usurpamus, cum et Ghelezi vocent pagani declivem eam montis partem inter oppidum et Asopum sitam, in qua sepulcra reperta fuisse refertur.

§ 2. — *An liceat tres illas necropoleis ætate discernere.*

Res difficillima est cum Tanagra tandiu vixerit. Compertum enim habemus Tanagram, antiquissimis Bœotiæ civitatibus æqualem, et Romanorum tempore floruisse, ita ut per octo vel novem sæcula sepulcra hic condita fuerint (1). In Sicilia quidem (ut cetera omittam) civitates referre licet, quarum necropolesin, cum vitam breviorē definire possimus, ætatem certam adscribere facilius est : Selinuntem constat cccix annos vixisse et cum tres discernantur Selinuntiorum necropoleis (duo versus septentriones, altera versus occidentem longinquius sita), cum præterea inter sepulcra sepulcralemque suppellectilem in prioribus reperta et eadem in altera magnum discrimen intersit, varias ætates discernere licet (2). Quod autem ad Tanagram pertinet, cum tandiu floruerit, confertæ omnino necropoleis : qui novissimi urbem incoluere, Romani scilicet et romanorum imperatorum tempore Tanagræi, velut inter priores insinuavere, iuxta vel supra vel infra prius occupantium sedes.

Immo, ne inviolata quidem anteriora sepulcra servavere Tanagræi, cum illa materiam ad nova struenda suppeditent, cum diruatur, auferatur quidquid in

(1) Nummos Tanagræos vide a sexto a. C. n. sæculo ad Commodi regnum cunos (Cf. Cap. III, *De nummis*).

(2) De Selinuntiorum necropolesin et sepulcris quæ anno 1877 invisimus, vide *Bullettino della Commissione di Antichità e Belle Arti di Sicilia*, n. 5, agosto 1872, p. 10 et seq.

promptu est, quidquid eminent, et cippos et anaglypha quibuscum alia sepulcra operiant.

Inde incerta omnia et confusa sunt, cum nihil fere remaneat, quod ætatem qua sepulcra condita fuerint testetur, cum absint et cippi et anaglypha alias transvecta. At ætatis certiora documenta præstat sepulcralis supellex! Agricolaë vero, simul penitus exploravere sepulcra, terram intus coniciunt ut lateant, nec tibi cum sepulcris supellectilem conferre licet. Quod ad *Societatem Archæologicam*, diurnos explorationum commentarios legere est, quos sæpe indiligenter et incertius scriptos reprehendas. His igitur freti quæ vidimus ipsi et quæ Skhimatariotis magistris didicimus, quæque collata cum aliis certiora fecimus, responsum propositæ quæstioni adferre tentabimus.

Cum Græcis mos esset sepulcra extra urbes effodere, Tanagræi a communi usu non abhorruere. Mortuos circa oppidum, pauco interiecto spatio, præter mœnia, præter vias et his sterilibus locis quos $\varphi\epsilon\lambda\lambda\epsilon\tilde{\iota}\varsigma$ vocabant Attici, deposuere; neque Tanagræis ullus locus aptior videbatur quam collis cui nomen hodie Kokali, quippe qui haud longe distaret ab oppido (1) sterilisque foret; et cum ad struendos viventium domos tofum abundanter suppeditaret (2), satis compertum habebant quanta cum facilitate tofaceus ille collis effoderetur.

(1) Thermodon neque latus neque tantum aquosus est.

(2) Quas miratur picturas encausticas Dicæarchus (*H. G. F.*, II, p. 257, § 8), haud dubium mihi videtur quin lapidibus tofinis impositæ fuerint.

I. Permulta sunt, ut supra rettulimus, in Kokalio sepulcra, repertique sunt tituli cuiuslibet ætatis litteraturam exhibentes. Certiores tamen facti sumus : 1° In Kokalio colle effossos fuisse antiquissimos titulos (1) ; 2° in Kokalio maximam vetustissimorum titulorum partem.

Quos in Kokalio cæsos et inscriptos fuisse non dubium videtur, cum et tofini sint lapides et e tofo constet collis. Asserendum igitur inter Tanagræorum necropoleis Kokalianam antiquissimam esse, et ab ipso colle initium cepisse, unde paulatim aucta per declivia in S. Georgium, Ambelia et cet. sese extulerit.

II. Et alterum ad portas oppidi sepulcretis aptissimum locum præstabat Cerycius mons, quanquam e lapide durissimo constabat. Nec non antiquissimis temporibus hic et lapides exciderunt et sepulcra Tanagræi effoderunt : adparent enim etiam nunc, per quæ declivia oppido proxima sunt, sepulcra quædam vivo saxo sculpta, et quo loco sepulcorum ordo in maximam latitudinem patet, reperti fuerunt tofinis lapidibus incisi tituli vetustissimi, haud multi quidem, eandem litteraturæ speciem exhibentes quam qui in Kokalio.

Maior autem est titulorum multitudo temporibus macedonicis et romanis incisorum, quorum plerique ex utraque parte viæ reperti fuere.

(1) Vetustissimos Tanagræorum titulos vide : *Inscriptiones Græcæ antiquissimæ præter Atticas in Attica repertas*, edidit H. Roehl. Ii in Kokalio reperti fuere, n. 131, 132, 133, 134, 135, 154, 155, 163, 169, 174, 220, 221, 265 aliique multi.

Certum igitur habeamus : 1° si non æqualem Kokalianæ, et antiquissimam esse Balianam necropolin; 2° iuxta urbem, per montis declivia reperta fuisse antiquissima sepulcra et vetustissimos titulos, paucos quidem (1). (Asserunt etiam agricolæ ex his tribus sepulcrorum ordinibus quos antea descripsimus, primum i. e. qui monti proximus est, ornatissimam et pulcherrimam supellectilem præbuisse); 3° in campo, præter viam, repertos fuisse permultos titulos macedonicis et romanis temporibus incisos, ut e litteraturæ habitu adparet.

Initium igitur cepit Baliana necropolis a monte ipso, cuius per sterilia declivia iam quinto a. C. n. sæculo sepulcra effoderunt Tanagræi, unde in campum descendit. Constat circa viam quasi constitisse mortuorum confertiora agmina et inde ultra progressa esse, Romanis vigentibus, cum solæ tot inter ruinas ac nomina Tanagra Thespiæque exstarent (2).

III. Quod ad Ghelezianam necropolin pertinet, quam minorem et minus adhuc notam supra rettulimus, nihil certius definire licet.

Nec dubium est quin recentiores sint quos in Ghelezio exscripsimus titulos, nec non verisimile videtur, postquam confertas Kokalianam Balianamque necropoleis experti fuerint, demum sese convertisse

(1) Vide apud H. Rœhl, *J. G. A.*, n. 124, 125, 130, 137, 156, 171, 172 compluresque alios.

(2) Strabon., IX, 2, 25 *in fine* : νυνὶ δὲ μόνη συνέστηκε (Thespiæ) τῶν βοιωτιακῶν πόλεων καὶ Τάναγρα · τῶν δ' ἄλλων ἐρείπια καὶ ὀνόματα λείπεται.

Tanagræos ad alium locum, ex altera Asopi parte, in campos versus meridiem spectantes : haud aliter Selinuntii, cum refertis antiquissimis necropolesi nulla amplius sedes inesset, tertiam, ex altera parte fluminis Selini, longius ab oppido distantem condiderunt. At in Skhimatario museo duos exscripsi titulos qui in Ghelezio reperti fuisse dicuntur ;

ΓΑΙΣ Πάις. ΣΑΡΓΙΝΛΙ//// Σαρπινγί[ς.

quorum prior citra flumen, alter ultra in Liatanniatico Ghelezio, ut aiunt. Nec dubium est quin uterque quinto a. C. n. sæculo, satis magno quidem intervallo, incisus fuerit (1).

Quæ cum ita sint, licet expectemus quid novæ indagaciones, si qua diligentia relatæ fuerint, profecturæ sint.

Compertum nunc habemus tres fuisse Tanagræorum necropoleis, quibus mortuos a fabulosa Poemandri ætate usque ad imperatoris Commodi regnum sepelierint. Sepulcra describere iam nobis propositum est, discurrentibus ex alia in aliam et quæque ex temporis ordine digerentibus.

Describenda primo quæcumque exstant i. e. cippi quibus incisum est mortui nomen et anaglypha, quæcumque supra (ἐπι) mortuum iacent, ut bæoticum illud usurpemus.

(1) Adde H. Roehl, *I. G. A.*, n. 164.

Describenda deinde sepulcra ipsa quasque varias formas præbeant.

Denique quidquid medio in sepulcro invenitur, et cadaver et sepulcralis supellex.

PARS POSTERIOR

CAPUT PRIMUM.

QUID SUPRA SEPULCRUM ET MORTUUM (ἐπὶ τῷ θανόντι)
EXSTITERIT. DE CIPPIS ET ANAGLYPHIS.

In dialogo cui nomen est *de Luctu*, Lucianus mortuum inducit qui quæ iusta persolvunt mæsti parentes ægre ferens, quantum inania omnia ista sint ostendere conatur. « Quid iuvat, ait, coronatum in sepulcro saxum?... Et cippi et inscriptiones parvo tempore durantes qui non superflua et lusibus similia (1)! » Permultis Tanagræis post mortem ita loqui licuit: sæpius enim ceciderunt cippi supra sepulcra olim infixi quibus supremæ sedis locum designarent et mortui nomen servarent: quos diruit et aliis sepulcris inædificavit superstes quisque, ita ut priora sine nomine remanerent. Constat enim nullum cippum suo loco

(1) Lucian., *de Luctu*, 19: τί δὲ ὁ ὑπὲρ τοῦ τάφου λίθος ἐστεφανωμένος; 22 Χώματα μὲν γὰρ καὶ πυραμίδες καὶ στήλαι καὶ ἐπιγράμματα πρὸς ὀλίγον διαρκούντα πῶς οὐ περιττά καὶ παιδιαῖς προσεικότα;

reperitum esse (1), plerosque autem alienis sepulcris superpositos : sepulcrum quoddam vidi quattuor cippi clausum, quos prædatores, nullis impensis, e viciniis contulerant (2).

Cippi nunc in vico Skhimatario adservantur, plerique in aula ecclesiæ S. Taxiarchi, ubi confertis ordinibus ad mœnia stant : redintegratam Tanagræorum necropolin dicas!

§ 1. — *Qua materia constant cippi.*

Vel tofo, vel lapide nigro vel pentelico marmore constant Tanagræorum cippi.

Quod ad tofum et lapidem nigrum, e Bœotia immo e Tanagræ viciniis adfluebant. Tofaceum enim esse Kokalium rettulimus, nec non collis ubi adsurgit Skhimatariotarum vicus nomen habet « Poritsa » et quæ ad collem via « Via Poritsa, » e græco vocabulo πῶρος vel ut apud agricolas sonat πορῆ quod tofum significat. Tofus tener et densus est cuius progrediente tempore superficies indurescit : color luteus potius quam albus. Lapis niger e Cerycio monte effoditur : durus admodum est nec tantum levis et sæpe lineolis distinctus, quibus obstantibus incisos titulos difficillime discernas.

(1) His exceptis qui medio in sepulcro depositi fuerant (Vide p. 18).

(2) Ita legibus Solonis auctore Plutarcho (*Vita Sol.*, XXI in fine) vetitum erat ne quis aliena sepulcra nisi cum mortuus efferretur adiret. Adicit Plutarchus Bœotorum leges non ab atticis abhorrere.

§ 2. — *Quales formas cippi præbeant.*

Constat quo magis tenera sit materia, eo facilius ad varias formas inflecti eam posse: tener ante omnes tofus est et cum præterea maxime abundaret, verisimile est eum primum ad cippos cædendos adhibitum fuisse.

I. *De tofo.* — Non expedit quas formas præbeant tofini cippi omnes singillatim describere: eos tantum interest quorum forma Bœotorum peculiaris vel sæpius ceteris adhibita nobis visa fuerit, inquirentibus et ubi reperti fuerint et quid e mutis istis monumentis conferre liceat quo certius discernere possimus quid de mortuis et de ulteriore vita senserint Bœoti. Omissis igitur rudioribus iis cippis quorum imago Tab. II (1, 2, 3, 4, 5) refertur, tres laudare satis erit.

1° Qui formam *altaris* præbent (Tab. II, 8, 6, 7, 9).

His omnibus eadem est quadratæ mensæ species. Mensæ autem superficies apud tres (6, 7, 9) undique ita cavata est ut tribus partibus margo supersit, quarta desit unde excidat quidquid insuper effuderint. Nec dubium tibi videbitur quin formam altaris referre in animo habuerint, cum contuleris parvum altare quod Athenis in arce adservatur (n. 9 bis): cuius uno in latere Mercurium Criophorum insculpsit artifex, in altero Venerem (1). Formam eandem esse constat.

(1) Vide J. Overbeck, *Geschichte der Griechischen Plastik*, I (1881).

XLIV eandem formam præbentia monumenta vel fragmenta in Skhimatarianis museis vidimus : quæ, quanquam non omnino simillima, minime tamen inter se discrepant, cum unum in pyramidis speciem leviter inflectatur (1), alterum e qua parte margo mensæ cecidit antis ornetur. Neque modus omnibus idem est, cum hoc maius et in longitudinem provec- tius (n. 7) (2), illud cubo propius sit. Pleraque parva sunt. Quod maximum vidi, 1,03 long., 0,585 alt., 0,56 crass. (3) ; quod minimum, 0,13 long., 0,22 alt., 0,08 crass. ; quæ media, 0,55 vel 0,40 long., 0,25 vel 0,50 alt., 0,25 vel 0,29 crass.

Cum cippos istos tam parvos esse constet, fides adhibenda videtur agricolis qui eos plerunque mediis in sepulcris repertos fuisse asseruerint, sæpe duos in eodem sepulcro, quorum unus ad caput, alter ad pedes mortui iacebat.

Plerique in Kokalio reperti : xv in commentariis e Kokalio oriundi referuntur, vi e Balio, i e Ghelezio. Quod ad ceteros incertum.

2° Qui formam *ædiculæ* (Tab. II, 11, 12, 13, 14, 15). *Ναϊδίσχημοι*.

p. 219, fig. 53, c. d. Calamidis inclitissimus erat Mercurius Criophorus Tanagræ in templo Mercurii adservatus : cuius imaginem ex illo altari referre studuit Overbeck.

Quod ad formam pertinet, cf. ægyptiacas mensas in Museo Parisino (Louvre, Tables d'offrande).

(1) Cui titulus inscriptus *Ηιπποκλία*.

(2) Cui titulus inscriptus *Ἐπὶ Ἀμεινοκλείαιε* (*I. G. A.*, n° 155), compluraque alia.

(3) Cui titulus *Ηιπάρχα* (*I. G. A.*, 134).

Hoc in omnibus animadvertendum est, eos uno lapide constare et parumper cavatos fuisse ita ut antæ et fastigium vix emineant (0,05 vel 0,05 vel 0,01).

Satis constat varias fuisse formas, et simplicissimas (n. 11) et ornatissimas (14, 15). Fastigium sustinent vel antæ vel columnæ plerunque ionicæ: perraro striatæ sunt columnæ, cum duas viderim ædículas striatis columnis decoratas, unam ionicis, alteram corinthiacis. Prior ampla quidem est ideoque striis cædendis apta, posterior parva.

III denticulis non fastigio coronatæ sunt (vide n. 15): ceteræ XXI. Quod ad mensuram pertinet, excepta una quæ adsurgit in altitudinem 1,29, latitudinem 0,88, crassitudinem 0,28, pleræque 0,70 vel 0,55 altæ sunt, 0,51 vel 0,26 latæ, 0,15 vel 0,11 crassæ.

Rettulerunt agricolæ nunquam mediis in sepulcris repertas fuisse, sed iuxta sepulcrorum parietes.

II e Kokalio, III e Balio, I e Ghelezio oriundæ in commentariis referuntur. Quod ad ceteras, incertum.

3^o Qui *maiorum ædicularum pluribus partibus constantium* formam præbent (Tab. III, 16, 17, 18, 19, 20). Quæ n. 16 signatur, 0,57 alt., 0,95 long., 0,08 crass.; quæ n. 17, 0,42 alt., 1m. long., 0,11 crass.; quæ n. 18, 0,52 alt., 0,80 long., 0,08 crass.

Inquirendum primum quonam modo starent ista. Quod ad n. 20 pertinet, verisimile est columnis impositum fuisse, fastigii loco (1); quod ad cetera,

(1) Cf. Stackelberg, *Die Gräber der Hellenen*, taf. IV, 2. « Aufriss eines nach Pausanias Angabe (II, 7, 3) von mir erkannten und wiederherges-

subest (vide n. 16) amplum foramen quadratum et in altitudinem 0,05 vel 0,07 depressum, quo fastigium illud firmaretur et vel muro vel zoophoro cuidam insereretur. Et e superiore parte insunt foramina, vel duo vel quattuor minora quidem, quasi et fastigio ipsi aliquid superimpositum fuisset (1).

Constat igitur ampliores istas ædiculas velut ostentationi comparatas altius eminuisse, vel muro cuidam vel insculptis fundamentis impositas, ita tamen ut ex utraque parte fastigium adpareret : in una enim, eadem ex utraque fastigii parte ornamenta insculpserunt, quasi ædicula undique conspicienda surgeret.

Maiores ædiculæ xxiii in Skhimatarianis museis adservantur vel integræ vel truncæ. Forma n. 20 rarior est, cum duo tantum exemplaria descripserim.

Pleræque e Kokalio (xii) ortæ, ii e Balio. Quod ad ceteras, incertum.

Quos iam descripsimus cippos, tofini omnes, exceptis duabus maioribus ædiculis quæ marmore pentelico effictæ sunt.

II. *De lapide nigro.* — Nunquam in altaris spe-

tellen Grabdenkmals. » Ædicula, quam refert Pausanias Sicyonica est : αὐτοὶ δὲ Σικυώνιοι τὰ πολλὰ εἰκότι τρόπῳ θάπτουσι. Τὸ μὲν σῶμα γῆ κρύπτουσι, λίθου δὲ ἐποικοδομήσαντες κρηπίδα κίονας ἐφιστάσι, καὶ ἐπ' αὐταῖς ἐπίθημα ποιοῦσι κατὰ τοὺς ἀστούς μάλιστα τοὺς ἐν ταῖς ναοῖς · ἐπίγραμμα δὲ ἄλλο μὲν ἐπιγράφουσιν οὐδὲν, τὸ δὲ ὄνομα ἐφ' αὐτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες κελεύουσι τὸν νεκρὸν χαίρειν.

(1) Uni (n. 16) insunt et e superiore parte et ex utroque latere sex foramina oblique incisa neque clavo maiora. Utrum ex his penderent ornamenta ære facta an artius cum proximis ædiculis ita iunctum fastigium cohæreret, incertum.

ciem neque ædiculæ nigrum lapidem cæsum fuisse constat. Nec mirum, cum et duriozem eum et minime levem rettulerimus ideoque minoribus et ornatioribus cippis ineptum.

Quod ad formam nigrorum cipporum pertinet, nihil est quod animadvertamus (Tab. iv). Duo tantum genera discernenda : 1^o cippi quadrati, 2^o cippi in speciem fastigii, vel nudi vel acroteriis ornati, cæsi. Simplicissimos omnes esse constat.

Forma celeberrima n. 24.

Plus sescentis exscripsi. E tribus necropolesin promiscue orti sunt.

III. *De marmore pentelico.* — Ex his omnibus quos supra descripsimus cippis, fere nullus magni pretii fuisse videtur, cum tofum lapidemque nigrum abundanter Tanagræis regio suppeditaret et nullus exquisitam artem exhibeat. Tanagræis autem, quos fortunis splendidos fuisse novimus, pretiosiorẽ materiam comparare et alienos artifices arcessere facilius erat, quippe proximam Pentelico monti et Athenis regionem incolentibus. Iamque apud Pausaniam legimus quot e marmore statuae Bœotiam insignirent et commendarent, marmor autem a Pentelico monte effossum et sæpe atheniensium artificum manu perfectum fuisse (1). Ut deorum statuas, ita cippos sepulcrales sibi comparavere Bœoti, nec dubium nobis videtur quin Athenis aut sub radicibus ipsius

(1) Pausan., IX., 11, 2; 19, 5; 25, 4 et permultis aliis eiusdem libri locis.

Pentelici montis officinæ exstiterint, unde cippi vel terra vel potius mari ab Oropo Tanagram transveherentur.

Cipporum pentelico marmore factorum non adeo tanta multitudo in Skhimatarianis museis adservatur. Quas præbeant formas, vide Tab. v : atticum quid illis inesse nemo non consentiet (1), nec dubium quin omnes aut plerique saltem in Attica cæsi fuerint : immo, compertum mox habebimus complures titulos et in Attica incisos fuisse. Iam liquet quanta diligentia cippos ab aliis alios discernere oporteat, et quantum errasse nobis videatur qui libro suo nomen *Die Grabsteine der alten Griechen* imposuerit, cum attica tantum monumenta complexus fuerit : alia enim Athenis, alia Tanagræ sunt.

Nec satis est varias formas discernere, quod primum aggressi sumus ut in tanta cipporum multitudine et quasi colluvie velut itinera aperiremus : nunc et tituli et anaglypha, si quid Bœoticum vel Tanagræum insit, accuratius describenda.

§ 3. — *De titulis sepulcralibus.*

Sepulcralium titulorum tanta nunc, in Attica præsertim, multitudo est ut videantur ideo cæsi fuisse cippi ut et acciperent et in perpetuum servarent defunctorum nomina, vel ignobilissima. An Tanagræis

(1) Atticos cippos confer in libello cui nomen est : *Die Grabsteine der alten Griechen* relatos, tab. I, II, III. P. Pervanoglu, *Die G. d. a. G., nach den in Athen erhaltenen Resten derselben besonders untersucht*, Leipzig, 1863.

visum ita fuerit, inquirentibus nobis expediet titulos ipsos e temporis ordine considerare.

Id Tanagræos titulos exscribenti peculiare est, quod sæpe vetustissimæ inscriptiones occurrunt. Compertum quidem habemus quam parum benigne sepulcrales titulos excipiat si quis per Græciam iter faciat, quantumque decipiat cum longa via defessus id tantum mercedis habeat, scilicet ampliorem cippum cui nihil aliud nisi pauci versus, paucae litteræ inaratae insint! Adde quod plerunque ne litteratura quidem indagacionibus tuis materiam idoneam praestet, cum eae sint litteræ quas macedonicas vocant, quarum ætatem certe definire difficillimum est. Vetustissimis autem inscriptionibus quamvis brevibus et truncis pretium est, cum et varia incertae litteraturae lineamenta et nondum constitutae scribendi rationis dubitantem gradum agnoscas, quibus distinctis facilius cipporum ætatem definire queas.

Et litteratura et scribendi ratio nobis omittendæ, inquirendumque : i. quomodo conscripti sint tituli; ii. quid exscriptis titulis de defunctis doceamur; iii. quousque titulos et varias cipporum formas conferre proficiat.

I. Vulgatum est in vetustissimis inscriptionibus vel cippum vel statuam induci, mortalium instar, loquentes : « ille me sculpsit; sum super illum (1). » Plura

(1) Titulum vetustissimum confer Coreyræ repertum (*I. G. A.*, 340) :

Σᾶμ' Ἐχετίμου ματρός ἐγὼ ἔστακ' ἐπὶ τύμῳ

Πουλυνόφας, στοναχὰ δ' αὐτῷ κατέλειπετο ματρός.

Cf. *C. I. A.*, I, 466 b, 475 : Δοιμῶ θανούσης εἰμι σῆμα Μυρίνης.

exempla Tanagræi cippi adferunt, vetustissimi quidem : ἐπὶ Φέκαδάμοε ἐμί. Ἐπὶ Πολυαράτοε ἐμί. Ἐπὶ Καλιθεσίδῃ ἐμί (1).

Id autem Bœotorum peculiare est, quod frequentissime præpositionem ἐπὶ cum dativo usurpaverunt (2). Quideam significet, satis liquet e vocabulis istis ἐπιτάφιος, ἐπιτίθημι (quod quidem sæpissime in sepulcralibus titulis occurrit). Ἐπὶ Πολυαράτοε ἐμί, i. e. sum supra Polyaratum, supra Polyarati sepulcrum sto.

Quam vocem (ἐμί) in sex tantum inscriptionibus vel fragmentis exscripsimus : nec dubium quin vetustissimæ sint.

Vocem ἐπὶ centum circiter inscriptiones præbent, quarum vix viginti inter vetustissimas adnumerandæ.

Plerunque nominativo casu inscriptum fuit mortui nomen (3).

Quod ad vocabula ista (χρηστός vel χρηστή, χρηστά, — χαῖρε — μνήμης χάριν) quæ sæpe usurparunt alii, raro in Tanagræis titulis occurrunt : semel μνήμης χάριν, apud viginti χρηστός, triginta χαῖρε.

Epigrammata perrara : tria tantummodo exscripsi, quorum unum christianis ætatibus exaratum edidit Duchesne (4).

(1) *I. G. A.*, n. 131, 154, 132.

(2) Cf. Bœckh., *C. I. G.*, I. Introd., § 18, p. 727.

(3) In his titulis Παεῖλλο, Προμάχο (Παῖλλο, Προμάχο) lapicida præpositionem ἐπὶ omisisse videtur. Cf. Ἐπὶ Ὀνασίμῳ (G. Larfeld, *Sylloge inscriptionum Bœoticarum dialectum popularem exhibentium*. Berolini apud G. Reimerum, 1883, n. 555).

(4) *Bulletin de correspondance hellénique*, III, p. 144 et seq. Cf. G. Kaibel, *Epigrammata græca ex lapidibus conlecta*. Berlin, 1878, n. 495, 496.

II. Exscriptis titulis perpauca de defunctis docemur, vel de parentibus eorum, vel de patria, vel de conditione et arte, vel de ætate.

Vix apud triginta patris vel mariti nomen reperies.

Cum constet peregrinos benignissime Tanagræ exceptos fuisse referatque Dicæarchus « nullam per totam Bœotiam urbem esse, in qua tutius possint commorari, » pauci tamen cippi supersunt quibus inscriptam defuncti patriam agnoscas. Hos exscripsimus :

- Bœotorum.* Εὐήμερος Σωκράτους Ἀθηδόνιος
χαῖρε.
Δαλίων Κορωνεύς.
Χαρίας Thebanus. (Θήβη πατρίς in
epigrammate).
- Eubæorum.* Ἀθηνῶ Μαρσίου Χαλκιδική.
Νικοστράτη Διονυσοδώρου Χαλκιδική.
- Atheniensium.* Ἐπὶ Εὐφροσύνη Κριτοβούλου Ἀθηναία.
- Peloponnensium.* Σωσιγένης Ἀριτάνδου Ἀργε(ῖ)ος. Cf.
Cumanudem, Ἀττικῆς ἐπιγρα-
φαὶ ἐπιτύμβιοι, ἀρ. 1603,
σελ. 197. Σωσικράτεια Ἀλεξάνδρου
Ἀργεία Τιμάνδρου Ταναγραίου γυνή.
- Insularum.* Ὀνάτωρ Νέωνος Σαλα[μίνιος].
Πιστόξενος Λυσίππου Τήνιος χαῖρε.
- Asianorum.* Ἀγέλαος Ἐλαίτης?
Ἀριστοκράτης Ἀθηνίωνος Μιλήσιος.
Λαμπρ.. Μ.. ν.. υ [Μαγνήσιος] [ἀπὸ]
Μαιάνδρου.

— Φιλοτέλης Ἡρακλεώτης.
Σωδα... Πελλ..... (1).

Vir doctissimus qui sepulcrales Atticæ titulos edidit Tanagræosque multos, agnovit apud athenienses vocabula *χρηστός* et *χρηστή* peregrinorum cippis tantummodo incisa fuisse (2). An et Tanagræorum moris fuerit incertum est, cum non videantur popularium suorum cippos nomine vel pagi vel tribus discrevisse et adsueverint, ut remotissimis ætatibus Athenienses, merum nomen exarare. Cum autem compertum haberemus cippos omnes quibus *χρηστός* et *χρηστή* et *χαῖρε* insint supra peregrinorum sepulcra stetisse, mirandum tamen erit voces istas tam raro occurrere, cum tantam peregrinorum multitudinem fuisse constet. Atheniensibus maximæ curæ erat vel inter mortuos discrimina servare et cives a peregrinis seiungere, Tanagræis, ut videtur, minimæ.

Pauca romanorum nomina occurrunt (3).

Quod ad defunctorum sortem et condicionem pertinet, perraro relatæ sunt. Coquum quendam novimus (Ἀγάθων μάγειρος) (4), servum (Δούλος) et verisimile inter servos adnumerandas esse *Θετταλία* (ἐπὶ Θετταλῖαι), *Θετταλή* (Θετταλή χρηστή χαῖρε), *Θραῖττα* (Θραῖττα), *Σύρος*,

(1) Cf. quæ rettulimus Bæotorum proxenorum nomina, *Bull. de corr. hellén.*, III, p. 384 et 385.

(2) Cumanudes, Ἀθήναϊον, III, p. 166.

(3) Exempli gratia : ἐπὶ Κοιχχταίαι, ἐπὶ Κοκκηῖω Φαύστω (Ἀθήναϊον, III, p. 174, n. 82); ἐπὶ Πώλλη Κορτία.

(4) G. Larfeld, *S. I. B.*, n. 533.

Σύρα (ἐπὶ Σύρα), Συρίσκα, Φρυγία (Φρυγία χρειστά) (1).

Quod ad ætatem, XIII cippis incisa vocabula Πάις, vi Κόρα. Cumanudi concedendum Πάϊλλος et Κόριλλα nihil aliud nisi propria nomina esse quæ frequentissime usurpaverint Tanagræi (2).

Satis igitur liquet quantam ariditatem sepulcrales Tanagræorum tituli præ se ferant. Quid de mortuo? Qua patria ortus, quam exercuerit artem, qua morte raptus fuerit? Utrum bello ceciderit an naufragio absumptus, incertum. Quantum dissimiles Atheniensium tituli, si quos collegit Cumanudes evolveris vel tantummodo indices perlegeris in fine digestos (3)! Tanagræos titulos colligenti deerunt indices. Nec tamen incuriositatis crimine Tanagræi arguendi videntur, quippe qui, ut brevi liquebit, tanta cura sepulcra decoraverint: ea vero est causa cur titulum parvi faciant, quod parvi titulus mortui intersit. Quod certius mox habebimus cum collatis vetustissimis inscriptionibus monumentisque, quid senserint Tanagræi inquisiverimus, tempore quo vigeret morum animorumque novitas.

III. Vetustissimæ pleræque inscriptiones tofinis cippis insunt.

Quas præferunt cippi in altaris speciem cæsi, vetustissimæ omnes (4), ita ut liqueat hanc formam a

(1) Titulos omittimus in eorum tumulis positos, qui a collegio (θίασος), cuius sodales fuerant, erant sepulti. Cf. cap. III, § 1.

(2) Ἀθήναιον, III, p. 170.

(3) Ἀττικῆς ἐπιγραφὰὶ ἐπιτύμβιοι, 1871, p. 452: Πίνακες.

(4) Eæ sunt: Ἐπὶ Καλιθεσίδι ἐμί (I. G. A., 132). Tab. nostra II, n. 7.

Ἡπάρχα (I. G. A., 134). Tab. II, n. 7.

remotissima ætate usurpatam fuisse. Altaribus haud raro deesse titulum non mirum est, cum plerunque medio in sepulcro deposita fuerint.

Quod ad minores ædiculas pertinet, quinque tantum titulis ornatas descripsimus : ΟΙΥΜΠΙΨΟ/// (1) (Ὀλύμπιος), ΝΙΚΟΣΣΤΡ//// (Νικόσστρατος?), ΚΑΝ..? Καλ..., ΓΑΙΣ Πάις, ΜΟΥΣΙ//// ΡΗΣΤΗΧΑ..Ε (Μουσὴ χρηστὴ χαῖρε). Ex his titulis unus, ut ex litterarum specie colligi potest et e dicendi ratione (χρηστὴ χαῖρε) macedonicis vel romanis temporibus incisus fuisse videtur, neque dubitandum quin vetustiore eum cippum aliquis tunc usurpaverit, quod sæpius ut iam rettulimus accidit : ceteri quinto vel ineunte quarto sæculo vix recentiores. Nec non animadvertamus plerisque ædiculis nullam incisam fuisse inscriptionem, cum tamen ædiculæ non medio in sepulcro iacerent.

Neque asserimus vetustissimum quemque titulum tofinis cippis, vel in altaris vel in ædiculæ speciem cæsis, incisum fuisse : vetustissimas enim litteras præferunt et e marmore pentelico et e lapide nigro facti

³Ἀθανογιτίς (*I. G. A.*, 137). Tab. II, n. 8.

Θιομνάστα (*I. G. A.*, 139). Tab. II, n. 6.

³Ἐπὶ Ἀθανοδόρα (141), n. 9.

³Ἐπὶ Ἀμεινοκλείας (155), n. 7.

³Ἐπὶ Ὀκίθας (156), n. 9.

Χσενοκλία (164), n. 6.

Σαμίχα (169), n. 6.

³Ἐπὶ Ὀορ... (221), n. 6.

Δεχσαρέτα (264*), n. 9.

Ceteras omitto.

(1) *I. G. A.* (222). Tab. nostra II, n. 13, sed acetomæ desunt acroteria.

cippi (pauci quidem) (1) : id tamen iterum memoremus oportet, vetustissimas plerasque inscriptiones tofinis cippis inesse, qui eo diligentius considerandi sunt quod peculiare exhibent formas quas in Attica reperire non est. Et altaris et ædiculæ speciem ista præbent : quid aliud nisi simulacra altaris et templi, cum mortuus ipse nihil aliud sit nisi εἶδωλον ! Quid iuvat titulus? Num prætereuntibus et viatoribus inscriptus fuit ut vacuum nomen in perpetuum servaret? At sæpius medio in sepulcro iacet cippus vel titulo decoratus vel nudus (2) ! Cippus igitur non ad superstitionem usum sed defuncto cæsus fuit : cippus defuncti, non prætereuntium nec parentum est, ut e vetustissimis inscriptionibus colligi licet.

Quod ad maiores ædiculas, constat et genus id cipporum antiquitus usurpatum fuisse, cum duæ vetustiores titulos præferant : ΕΓΑΚΛΕΙΑ (Μεγάκλεια) et in fragmento quodam ..↳ ..Ceteri tituli sunt recentiores ut e litteratura et e scribendi ratione colligere licet : Πούρριχος, Γλαφούρα, quæ nomina sexto vel quinto sæ-

(1) E pentelico marmore : Μνασίθεος (I. G. A., 158) n. 46.

Μενέκριτος (175), n. 4.

E lapide nigro : Τιμασίθεος (136). Tab. II, n. I.

Μνάσον (176), n. 4.

Ἀρίσταρχος (177). Tab. IV, n. 44.

Βόφας (183), n. 4.

Εὐτέλια (223), n. 42.

Λάστος (266), n. 43.

(2) Vetustissimus unus titulus (Θερίπιον, I. G. A., 130), legitur in margine thecæ cuiusdam argillacæ, ita ut et tegulis et superiniecta terra mortuæ nomen absconditum fuerit.

culo πύργιχος et Γλαφύρα adparebant (1). Et ex istis cippis, quos ampliores magnificentioresque esse retulimus, nonnulli nullum præ se ferunt titulum : deest defuncti nomen.

Iam ad ignobiles istos macedonicis temporibus vel romanis incisos titulos accessimus. Tum, ineunte ut videtur tertio a. C. n. sæculo, Tanagræis sepulcrales tituli maximæ curæ sunt, adeo ut proxima sepulcra prædentur et prius inscripta nomina eradant novaque imponant (2) : quos digerere et ordine describere difficillimum est quippe qui plura inter sæcula incertis intervallis fluctuent. Seiungendi : 1^o Christiani tituli : duos tantum agnovi, quorum unum edi-

(1) De quibus mutationibus, vide G. Larfeld in dissertatione *De Dialecti Bœoticæ mutationibus* (S. I. B.), p. xxii, III. *De u* (Υ, ΟΥ) *sono in iou depravato* — a) Υ, ΟΥ. Complura exempla præbent Tanagræi tituli : ΜΙΚΥΘ//// (Μίκυθος) (Lapis tofinus, form. 7; 0,18 alt.; 0,245 lat.; 0,15 crass.). Vetustiores sunt et cippi forma et tituli litteratura. Cf. ΜΙΚΟΥΘΟΣ (Lapis niger, form. 24, mutilus; quem iuris publici fecit Cumanudes (Ἀθήναιον, IV, p. 301, n. 26). Cf. Larfeld, S. I. B., n. 526). ΓΥΡΡΙΝΟΣ Πυργίνος (Lapis tofinus, form. 10; 0,56 alt.; 0,28 lat.; 0,13 crass.). Cf. Πουρρίδα (Larfeld, S. I. B., 470. Scribendum ΓΟ... non ΡΟ); Πουρρίδες (Larfeld, 530).

(2) Nec adeo diligens est quisque ut priora nomina eradat, mixtique alii aliis tituli sæpe adparent. Cf. tofinæ columnæ fragmentum, in Baliano campo repertæ (Locum vide, tab. I, f.) : de qua columna vide supra, p. 6.

ΕΠΙ
ΑΡΧΕΔΑΜΥ
ΕΠΙΤΟΥΤΟΝΕΠΟΗ
ΚΑ//////ΙΣΑ

Mixti videntur tituli duo 1) Ἐπι Ἀρχεδάμω · τοῦτον ἐπόησα (?). 2) Ἐπι Κα...

didit Duchesne, alteri (Ἰππόμαχε χῆρε) subincisæ sunt duæ cruces (?) (1); 2° qui romanis temporibus incisi fuerunt, quos discernere facilius est et ex ipsis nominibus (ἐπὶ Κοιγυταίαι, exempli gratia) et e litterarum specie, maiorum quidem magnificentiorumque et apicibus insectorum; 3° quibus insunt vocabula χρηστός vel χρηστή et χαῖρε. Doctissimum enim virum Cumanudem non fugit ea non semel in antiquissimis titulis neque in « mediis » occurrere (2).

His exceptis, permulti supersunt quorum ætatem certius definire nequeas vel, si liceat, non expediat. Vix interdum unus aut alter eminent, quem describere iuvat : duos laudare satis erit.

1) ΑΝΑΞΙΛΑΟΣ Ἀναξίλαος (Cippus pentelicus).

2) ΟΛΥΜΠΙΧΟΣ Ὀλύμπιχος

ΑΝΑΞΙΩΝΟΣ Ἀναξίωνος ·

ΗΡΟΔΩΡΟΣ Ἡρόδωρος

ΑΝΔΞΙΩΝΟΣ Ἀν(α)ξίωνος (Cippus pentelicus).

Nec mihi dubium videtur quin et Athenis et atheniensis cuiusdam manu incisi fuerint, non tantum quod litteræ fere στοιχηδόν digestæ sunt, sed quod Ξ ionicæ et atticæ litteraturæ proprium est : apud Bœotos Ξ vel Ξ vel Ζ. E milibus circiter iis inscriptionibus quas Skhimatarii exscripsimus, semel tantum in cippo e nigro lapide facto occurrit Ξ : ΘΙΟΞΟΤΑ.

(1) Lapis pentelicus, form. 30; 0,77 alt.; 0,35 lat.; 0,07 crass. Cf. Cumanudem, Ἀθήναϊον, III, p. 174, n. 77, et Larfeld, 536. Exscripsi et ectypo utor. Nec tertium nec quartum versum, quos publici iuris fecit Cumanudes, vidi.

(2) Ἀθήναϊον, III, p. 166.

Erravit qui nomen istud apud Bœotos celeberrimum exaravit et cum scribere $\Theta\iota\omicron\zeta\acute{o}\tau\alpha$ vellet, $\Theta\iota\omicron\zeta\acute{o}\tau\alpha$ evasit (1)!

His tamen temporibus, quibus tanta diligentia sepulcrales cippos Tanagræi exstruebant ut et iam inscriptas tabulas et quidquid in promptu fuerit, tota fragmenta, tegulas adhiberent (2), quibus tantum a vetustioribus formæ cipporum abhorrebant, notabile videtur usitatum adhuc fuisse medio in sepulcro cippum ocludere: die vicesimo secundo mensis novembris (quarto decembris) a. 1879, repertus est medio in sepulcro parvus lapide nigro factus cippus (0,45 alt., 0,20 long., 0,10 crass.), cui incisum erat macedonicis litteris nomen $\Theta\acute{\upsilon}\rho\omicron\varsigma$ (5).

Constat igitur a principio cippis tanagræis, vel in altaris vel in ædiculæ speciem cæsis, haud constanter incisum fuisse titulum; titulumque, sæpe medio in sepulcro oclusum, non ad id destinatum videri ut superstites et viatores moneret sed potius quasi terminum fuisse ($\delta\epsilon\rho\omicron\varsigma$) quo significaretur sepulcrum rem defuncti esse. Progredientibus temporibus, cum a vetustioribus formis abhorrerent nec iam cippos in alta-

(1) De $\Theta\iota\omicron\zeta\acute{o}\tau\alpha$ et $\Theta\iota\acute{o}\zeta\omicron\tau\omicron\varsigma$, vide Larfeld, Dissertatio *De Dialecti Bœotica mutationibus*, p. xxviii. — $\Theta\iota\omicron\zeta\acute{o}\tau\alpha$, lapis niger, form. 29; 0,29 alt.; 0,30 lat.; 0,07 crass. Exscripsi et ectypo utor.

(2) Fragmento tegulæ cuiusdam titulus exaratus: Καθιρῶ ὄρηα . Cf. titulum alterum in tegula inscriptum: $\text{Θεός · τύχη | ἀγαθῆ. Σωτε | [ρι]ς καλά}$. Inest et quartus versus quem legere non potui.

(3) Non iam indagacionibus aderam. E commentariis S. Trianti, qui legatus erat Societatis Archæologicæ, compertum habeo. Forma cippi n. 23.

ris vel ædiculæ speciem cæderent, cippus nihil aliud nisi monumentum erat cui defuncti nomen incidere usitatum fuit : is fuerat a remotissima ætate apud Athenienses sepulchralis cippus. Apud Tanagræos autem compertum habemus eum prius sacrum (ἱερὸν) fuisse. Quæ verba in inscriptione quadam profert titulus ipse : ἐκεῖνου δ' ἱερός εἰμι, et Tanagræorum titulis, vetustissimis quidem, proferre licuit (1).

§ 4. — *Quomodo cippos decoraverint Tanagræi.
De pictura et sculptura. De anaglyphis.*

Tanagræos cippos si quis in Skhimatariensis museis considerat, et quam exilis sit titulus et quam nudus cippus non est quin animadvertat. Ne miretur tamen deesse ornamenta ista quæ vel defuncti fortunas vel parentum diligentiore pietatem testentur, cum constet nigrum lapidem, quo plerique cæsi fuerunt, admodum durum esse : uni tantum, e nigro lapide facto, sub titulo incisum alabastrum vidi (2) neque ullum fallit simplicissimam insculpti esse vasis huius formam. Ne rosas quidem (3) quibus persæpe decorati sunt marmorei cippi, semel vidi.

Neque facilius erat lapidem nigrum picturis decorare, et quod color ipse impediret et quod vel gypso

(1) *C. I. A.*, I, 492, l. 7.

(2) Lapis niger, form. 24; 0,80 alt.; 0,32 lat.; 0,135 crass. Τιμομάχα (Cf. Cumanud., Ἀθήναϊον, IV, p. 299, n. 38).

(3) Quas nos « *rosaces* » vocamus.

vel albo prius illini non posset, quippe cui vix hærerent.

Tofinis tantum et marmoreis cippis vel insculpta vel depicta ornamenta insunt.

I. *De pictura.* — Cum Tanagram adit, miratur Dicæarchus quem hilarem aspectum præbeant domus et vestibula picturis encausticis pulcherrime instructa (1). Domus e tofinis lapidibus constitisse verisimile est, quos albo prius illitos picturis aptissimos fuisse compertum habemus: apud tofinos enim cippos, coloribus tenuissimum gypsum substratum reperimus.

Quod ad altaria pertinet, interdum rubro colore distincta sunt. Quod tab. II, 8 refertur, rubra fascia decoratum est: nec non in litterarum sulcis hærent vestigia rubri coloris (Ἀθανογιτίς), ut apud complura alia (2).

Quod ad ædiculas, duabus tantum formam 14 et 15 exhibentibus color inest ruber, inter columnas illitus.

II. *De sculptura.* — Ficta ornamenta altaribus et minoribus ædiculis deesse non mirandum est, eo quod minora sunt. Quod ad ædiculas, columnæ, quas vix eminere rettulimus, non apud omnes striatæ sunt: capitulum vix incisum est.

Maiores ædiculæ effingendis ornamentis aptiores, ideoque rosis inter columnas ornatæ, vel clipeis ga-

(1) *H. G. F.*, II, p. 257, § 8: Τοῖς δὲ τῶν οἰκιῶν προθύροις καὶ ἐγκαύμασιν ἀναθηματικοῖς κάλλιστα κατεσκευασμένη.

(2) Ἀθανογιτίς, *I. G. A.*, 137; Ηἰποκλία. Vide supra, p. 18, adnot. 1; Ἐπίππα, form. 3: litteræ vetustissimæ; Θραικία, *I. G. A.*, 138; ἐπὶ Εὐχσενίδα, *ibid.*, 163; forte Θερίπιον, *ibid.*, 130.

leaque et amphora (tab. III, 16, 17, 18) : clipeos et amphoras permulti Bœotorum nummi referunt (1). Interdum superiorem omnem ædiculæ partem sculptor adsumpsit : in fragmento quodam (tab. III, 19) sphinges duæ contra stant, altiori crepidini velut altari impositæ. Quanquam mutila undique est ædicula, posterioribus pedibus insidere videntur, quod et notis sphingum imaginibus (2) et ædiculæ in aetomæ speciem decrescenti maxime convenit. Capiti supereminet mitra ; quod ad corpus, acutæ mammæ, alæ vix emicantes, omnia denique vetustissimis imaginibus simillima sunt quas depicta vasa præbent. Nec dubium quin vetustissimûs sit et iste cippus, nec non animadvertendum sphingas sirenasque persæpe in sepulcralibus monumentis occurrere et apud Athenienses et apud Bœotos (3).

De cippis marmore pentelico factis, nihil referendum, cum et cæsos et forte inscriptos in Attica fuisse compertum habeamus : attica quidem et delicatiores

(1) Vide Caput III, De nummis.

(2) Cf. Sphingem in vico Spata in Attica repertam. *Mittheil. d. d. arch. Instit. in Athen.*, IV, taf. v, p. 63, 64.

(3) Vide Thespiense quoddam sepulcrale anaglyphum a Körte descriptum (*Mittheil. d. d. arch. Instit. in Athen.*, III, n. 15) et delineatum (*Mittheil.*, IV, Taf. xv) : sphinx una a tergo mulieris adparet. Cf. P. Lebas, *Monuments figurés*, pl. LXVII, 1 : sphinges in aetoma cippi cuiusdam exsculptæ sunt (Ἡδουλῆν Ἀμεινονίου Ἀφιδναίου θυγάτηρ). Cf. A. Milchæfer, *Sphinx* in *Mittheil.*, IV, p. 63 in fine.

Cf. figlinas Sirenas in tanagræis sepulcris repertas. J. Martha, *Catalogue des figurines en terre-cuite du Musée de la Société Archéologique d'Athènes* (xvi^e fascicule de la *Bibliothèque des Écoles françaises d'Athènes et de Rome*), n. 241, 242.

illæ rosæ et flexa folia et acanthi, quæ quasi florent in Ceramico (tab. v, 48, 49, 50) (1).

Cippis quos iam descripsimus desunt humani vultus defunctorumque effigies : anaglypha tamen in Skhimatarianis museis adservantur, quæ nunc diligenter considerare expediet, quo certius paulatim definire queamus quid Tanagræorum et Bœotorum proprium ac peculiare sit.

§ 4. (seq.). — *De anaglyphis.*

Perpauca Tanagræ reperta esse anaglypha præmonendum, cum vix triginta vel integra vel mutila in museis et in privatorum domibus descripserim.

Quo quodque loco repertum fuerit, sæpius incertum : constat nullum *in situ* fuisse, omnia autem a supervenientibus ad struenda vel ocludenda aliorum sepulcra adhibita antiquitus fuisse (2).

Uno excepto quod tofaceum est, omnia e marmore constant, pleraque e pentelico.

Quod ad formas, nihil est quod animadvertas. His omissis, quæ nihil aliud nisi tabulæ quadrangulæ vel tofinæ vel marmoreæ sunt, discernenda : 1° Anaglypha speciem ædiculæ referentia. Ædicula duabus columnis continetur, quibus superest vel aetoma vel epistylum sive transversum sive in arcus speciem curvatum (xxi monumenta vel fragmenta) (3).

(1) Cf. Pervanoglu, Taf. 1.

(2) Cf. Cumanud., Ἀθήναϊον, IV, p. 301, adnot.

(3) Exempla vide apud Pervanoglu, Taf. 1, 9, 10.

2° Anaglypha medio in cippo, quadrato spatio, exsculpta; breve spatium est figuræque vix eminent (v monumenta) (1).

Nihil in istis formis novum nec Bœotorum proprium est. Quod ad figuras pertinet, cum rudiores pleræque et romanis temporibus exsculptæ sint, is tibi Tanagræa anaglypha consideranti animus erit qui prius titulos macedonicis temporibus incisos evolventi. Cum iuuet vetustissimos titulos vel litteratura vel ratione scribendi notabiles curiosiore studio colere, quanto magis antiquissima anaglypha quæ quam informia et indecora suis tamen velut illecebris commendantur : sæpius enim ipsa deformitas operis quid proprie senserit et voluerit sculptor manifestum facit. Tanagræ autem unum adservatur vetustissimum anaglyphum; tria sunt quæ quarto vel potius tertio a. C. n. sæculo exsculpta fuisse asseras; cetera nil dubium quin romana sint. Nullum tamen despicendum est cum vel vilissima aliquid inquirentibus nobis quid de morte senserint Bœoti Tanagræique conferre possint.

Neque nobis necesse visum est anaglyphorum Tanagræ repertorum catalogum conscribere, cum, ut mox liquebit, Tanagræ non exsculpta esse omnia constet. Quæ iam vel descripsere vel iuris publici fecere alii : pauca Cumanudes in *Athenæo* (2), plura

(1) Pervanoglu, Taf. I, 6, 8, 11.

(2) Ἀθήναιον, II, III, IV, variis locis quos in Körtiano catalogo relatos reperies. Titulorum præsertim curiosus est Cumanudes.

in *Archæologico Diario* Robert (1) postquam Tanagram invisit et Skhimatariana musea, omnia denique G. Koerte, in libro cui nomen est : *Die antiken Sculpturen aus Bœotien* (2). Quem cum commentario nostro conferre eo magis expediet quod liber, cum Tanagram Bœotiamque inviserem, nondum in lucem venisset, neque ita fieri posset ut priore descriptione quasi præoccuparetur animus noster.

De antiquissimo anaglypho. Dermyn et Kitylum nudos effictos fuisse.

In Kokalio ut vetustissimi plerique tituli ita antiquissimum id anaglyphum effossum fuit.

Constat ex uno lapide tofino : tanagræus est tofus et ita cæsus ut sub figuris basis emineat cui inscriptus est titulus, supra velut abacus quo tegantur figuræ solidiorque sit totius monumenti compages (3).

Nudi stant viri duo quorum nomina iuxta pedes cuiusque incisa : qui a sinistra parte spectantis, Dermys est (Δέρμυς), qui a dextra Kitylus (Κιτύλος) (4). Cum

(1) *Archäologische Zeitung* (xxxiii), 1876, p. 148 : Die Ausgrabungen in Tanagra.

(2) *Die antiken Sculpturen aus Bœotien*, beschrieben von G. Körte, in *Mittheil. d. d. arch. Instit. in Athen*, III, p. 301-422. Adde *Bemerkungen zu den antiken Sculpturen aus Bœotien*, in *Mittheil.*, IV, p. 268-276. Dolendum est plures tabulas, quibus referebantur notabilissima quædam monumenta, forte perditas libro deesse : sex supersunt, III, Taf. xiv, xv ; IV, Taf. xiv-xvii.

(3) Imaginem perfectissimam vide apud Körte, III, Taf. xiv ; descriptionem, p. 309, 4. Cf. Alb. Dumont, *Gazette Archéologique*, 1878, p. 160 et seq.

(4) Titulum vide *I. G. A.*, 265.

Dermys sinistrum pedem parvo intervallo proferat, Kitylus dextrum, alterius pars superior corporis versus dextram, alterius versus sinistram leviter inflexa cedit. Dermys dextrum brachium, Kityli sinistrum pendet compressa manu : ex altera parte mutuo implexu iuncta sunt brachia, ita ut Kityli dextrum, Dermys lævum super humerum alterius recumbat ; tanta autem imperitia cæsa sunt brachia ut quasi e medio abaco, altius suspensa, excidere videantur. Manus aperta pectori hæret iuxta capillos impendentes. Coma in quattuor cincinnos divisa est quorum bini dorsum, bini pectus ex utraque capitis parte decorant.

Facies brevis et rotunda : adeo mutila vero est ut quid vultus expresserit discernere non possis. Statim autem quam rude et imperfectum sit opus liquet, quantumque inprimis vix inter se diversæ partes congruant : caput latius est, auris altior, collum longius, brachium (quod quidem pendet) brevius, pectus rectis lineis definitum et utris instar inflatum. Genua quidem diligentius incidere curavit sculptor : quid autem ! quasi pulvinulo discreta a cruribus femora effinxit.

Quod ad ætatem pertinet, conferenti tibi anaglyphum istud cum Apollinis Orchomenii figura (1) et antiquissimis templorum selinusiurum metopis (2) quas Ol. L non recentiores esse constat, postea cum

(1) Figuram vide in *Bull. de corr. hellén.*, V (1881), tab. iv, p. 319-322. Max. Collignon, *L'Apollon d'Orchomène*.

(2) Quas refert J. Overbeck, *Gesch. d. Griech. Plastik* (1881), I, p. 80, fig. 5. Cf. *Die Metopen von Selinunt*, von O. Benndorf, 1873.

posterioribus Selinuntiorum metopis quæ inter Ol. LX et LXX effictæ fuisse videntur, adparebit medium esse tanagræum anaglyphum, vetustissimis tamen metopis propius, i. e. medio a. C. n. sexto sæculo (1).

Nunquid igitur de Tanagræorum moribus et animis discernere licet? Dermys et Kitylus omnino ignobiles : an patrem habuerint Amphalkem qui cippum extruxit (2), incertum. Quos mutuo amplexu iunctos tanquam amicos et fratres effinxit sculptor, et quam inepte res cessit, quin familiari illo habitu moveamur non possumus, cum præsertim cetera anaglypha intimam illam amicitiam nunquam referant, vel attica quæ, cum supremum a parentibus discessum tam sæpe repræsentent, gravitate tamen magis commendantur.

At omisso illo qui humanissimus est manuum amplexu, nihil in istis figuris est quod deos vel heroas non deceat, cum et stantes ex adverso repræsententur et pedem proferentes, ut Orchomenius Apollo et in selinusiis metopis dii, et nudi. Compertum autem habemus in sepulcralibus Atheniensium anaglyphis nudum fere neminem effingi (3) : iuvenes quidem chlamyde tantum vestitos, senes nudum

(1) Quod ad ætatem pertinet, vide Alb. Dumont in *Gazette Archéologique*, 1878, p. 160 et seqq. Quod ad litteraturam, constat titulum non inter antiquissimorum vetustissimos adnumerandum esse : conferendus est cum Thespiensi titulo, Μνᾶμ' ἐπὶ Γάθωνι καριστοκράτει. Vide infra, p. 42.

(2) Ἀμφάλκης ἑστᾶσ' ἐπὶ Κιτύλοι ἐδ' ἐπὶ Δέρμυι.

(3) Excipienda anaglypha quibus mortuus saxo insidens adparet, iuxta lembum quendam : Pervanoglu, p. 69, 70 et seqq., n. 1, 3, 4, 5, 6 (Taf. I, 11), 7. Quid significant istæ figuræ rettulit Pervanoglu (p. 69).

pectus præstantes cum ostendit, id consequitur sculptor ut varientur figurarum habitus, cum præsertim mortuum inter parentes i. e. superstites ideoque vestitos homines sæpius inducat : deos ipsos, Mercurium, vestitos incedere (1). Quod ad Dermynos et Kityli comam, haud cultiores sunt deorum capilli, ut e statu is liquet.

Hominum igitur est familiaris ille bracchiorum amplexus, deorum et habitus et incessus et coma : quo fit ut quis Dermys, quis sit Kitylus incertum. Nec quamvis rettulerimus adeo mutilam esse faciem ut quid vultus expresserit discerni non possit, tam peritum fuisse sculptorem censendum est ut corpore simillimos vultu tantum discernendos præbuerit. Quos igitur omnino simillimos, quanquam certe cum viverent dissimiles, effinxit, et ut unus ab altero discerneretur, uni nomen Dermyn inscripsit, alteri Kitylum. O mendacem titulum, quo deciperetur Amphalkis pietas ! Quod si Dermyn loco Kityli, Kitylum Dermynos inscripsisset lapicida, nunquid reprehensurus Amphalkes fuisset?

(1) Mercurium vide in cippo notissimo, quem « vas Myrrhinæ » vocant. *Mittheil. d. d. arch. Instit. in Athen*, IV, p. 183, cum tabula. — Athletas effictos fuisse nudos ut Arrachiona quem vicisse ante Ol. LIV (564 a. C. n.) constat cuiusque statuam Pausanias Phigaliæ describit (VIII, 40, 1) nil mirum, cum nudi pugnarent. Et in anaglypho quodam sepulchrali quod Athenis in Ceramico repertum edidit Pottier (*Bull. de corr. hellén.*, V, p. 65-70, pl. 3) ephēbus quidam nudus repræsentatur : at solus incedit et, ut e palma coronaque conicere licet, athleta est. Et in cippis sepulchralibus nudos vide *παιδας κελητίζοντας* (*Mittheil.*, IV, Taf. II).

Mortuus igitur nihil aliud est nisi viventis velut auctior imago, quæ iam exiit quidquid prius proprium et peculiare habebat : deum esse dicas. Anaglyphum sepulcrale non vera mortui effigies sed perfecta species est nec tantum ideo cæsum fuit ut absentis memoriam in perpetuum servaret quantum ut parentum erga defunctum pietatem reverentiamque demonstraret.

Iisdem temporibus quibus Tanagræ Dermys et Kitylus, apud Bœotos exsculpta quædam anaglypha supersunt, quæ paucis verbis memorare intererit : unum Thespiis repertum fuit, alterum Orchomeni (nunc Athenis in museo quod Ἐθνικὸν vocant adservata), alterum Korseiis.

Quod Thespiis repertum, pentelico marmore factum est et truncum quippe cui desit pars superior (1). Adparent duo viri ad dextram conversi, quorum nomina e subiacente titulo novimus, Gathonem et Aristocratem (2). Nudus unus et lævum pedem, ut vetustissima quæque statua, parumper profert : quod ad brachia pertinet, dexterum quod nunc deest altius erectum erat, lævum ante lævum femur prolatum plena manu pomum tenet. Alter ita pallio indutus est ut (quod ad inferiorem partem) pedes tantum nudi remaneant. Immo, ut certius discerneretur unus ab altero, maiorem ut ex impari surarum altitudine adparet effinxit sculptor eum, qui posterior incedit.

Et e nobiliore illo habitu et e varietate ipsa figura-

(1) Anaglyphum vide apud Körte, III, Taf. xv; descriptionem, p. 311, 5.

(2) *I. G. A.*, 145.

rum conicere licet quanto peritior fuerit qui Gathonem et Aristocratem expresserit, nec attentius hoc opus consideranti dubium videbitur quin atticam disciplinam et atticæ artis decoram suavitatem referat, cum tamen non tantis temporum intervallis, ut ex literatura constat et ex ipso habitu, Dermys Kitylusque a Thespiensibus nostris dividantur. Nudum enim unum effictum esse non obliviscendum, quod ut supra diximus ab Atheniensium moribus abhorrebat, Thespiensium autem aptissimum erat : compertum mox enim habebimus apud Thespienses præsertim mortuos heroum modo excultos fuisse.

Anaglypha Orchomeni Korseiisque (1) reperta nil dubium quin atticam disciplinam præ se ferant. Alterum naxii cuiusdam Alxenoris opus esse, alterum ante Agasini sepulcrum stetisse e titulis constat (2). Utrumque ineuntis quinti sæculi sculpturæ insigne specimen est.

Unum (orchomenium quidem), marmore subcæruleo quod est Bœotiae proprium effictum fuit (3). Vir adparet ad dextram conversus, barbatus, baculo

(1) Germana ambo sunt quanquam unum in Bœotia, alterum in Locride (Korseiis) repertum : nec non confer alterum quoddam anaglyphum Korseiis repertum (*Mittheil.*, IV, Taf. xvii, 2), bæoticisque anaglyphis simillimum. Cf. Körte, *Mittheil.*, IV, 270, in fine, et 271, adnot. 2.

(2) Titulos vide, *I. G. A.*, 410 : Ἀλχσῆγορ ἐποίησεν Ἡο Νάχσιος, ἀλλ' ἐσίδεσθε. — *I. G. A.*, 313 : Ἀγασίνοσ. Cf. P. Girard, *Bull. de corr. hellén.*, II, p. 588, tab. xxvi, 20.

(3) Anaglyphum vide apud J. Overbeck, *G. der griech. Plastik* (1881), I, p. 166, fig. 34 ; descriptionem apud Körte (*Mittheil.*, III, p. 315, 8). Cf. Max. Collignon, *Manuel d'Archéologie grecque*, p. 216.

quod est sub lævo humero infixum nitens : implicatis pedibus cessat luditque, pueri more, cum cane cui dextra manu cicadam præbet. Exquisitam et lætam esse nemo non consentiet velut agrestem illam imaginem (1).

Alterum pentelicum est : vir barbatus est, binis manibus baculo nitens (2).

Uterque pallio indutus est : nec mirum cum senes eos esse et e barba et e vultus gravitate et e baculo satis adpareat. Quorum defessa corpora non iam florent, cum ipsi vita humiliores facti fuerint (τεταπεινωμένοι ὑπὸ τοῦ βίου) (3). Iuvenes nuditas decet : senum pectus tantum et brachia nuda ostenduntur.

Mortuum in herois speciem effingi. Mortuo libari. Mortuum vel equo insidentem vel iuxta equum stantem representari (Tab. VI, VII).

Anaglypha duo tantum exstant, in quibus mortuus nudus adparet : multo plura sunt quæ mortuum iam semideum factum et heroa referentia, Bœotorum erga perfectiorem defuncti imaginem pietatem demonstrent.

I. *Mortuo libari*. — Anaglyphum Lebadeæ reperi-
tum, marmore bæotico effictum, a Kœerte descriptum

(1) Cf. J. Martha, *Stèle funéraire en marbre de l'ancienne collection Borgia*, in *Monuments de l'Art Antique*, VI^e liv., III.

(2) *Mittheil.*, Taf. XIV, 2, et p. 313, 7.

(3) Aristotel., *Rhetoric.*, II, 13, 5 : Καὶ μικρόψυχοι διὰ τὸ τεταπεινωθῆναι ὑπὸ τοῦ βίου.

(*Ant. Sculpt.*, 9, p. 317) (1). Vir imberbis, quamquam omnino vigenti corpore, et baculo nitens, sedet ad dextram conversus : dextera manu magnum cantharum tenet, quasi libamina adorantium expectet (2).

Nil dubium quin non iam mortalis cuiusdam viri sed herois effigies ea sit : quod certius mox habebimus, cum cetera anaglypha et subscriptos titulos inspexerimus. Lebadeensi anaglypho, quod quinto a. C. n. sæculo effictum asserit Kœrte, cetera recentiora sunt. Iamque artificum dextra peritior est fecun-

(1) Quod non vidimus.

(2) Vix eminet figura, adeo ut depictum fuisse anaglyphum Kœrte censeat.

Cf. Kœrte, A. S., n. 140. Viro sedenti pateramque tenenti antistat mulier cum cœnochoë (Vⁱ. a. C. n. sæculi) : n. 139, fragmentum (*Mittheil.*, IV, Taf. xvii, 1). Vir armatus pateram dextra tenet (IVⁱ. a. C. n. sæculi).

Cf. anaglypha tria in Museo Venetiano, in Parisino et in Palazzo Giustiniani (?).

1) In Museo Venetiano (*Marciana*), Vide Hans Dütschke, *Antike Bildwerke in Oberitalien*. Leipzig, 1882, V, n. 254, p. 94. Max. Collignon, *Monuments grecs publiés par l'Association pour l'encouragement des études grecques*, n. 10, 1881 : *Bas-reliefs grecs votifs du Musée de la Marciana à Venise*, pl. 1. Vir armatus pateram dextra tenet, ante quem mulier reverentissima stat, cœnochoën infundens, puerque supplicum more dextram attollens : inter virum et mulierem exstat altare.

2) In Museo Parisino (Louvre). Vide tab. nost. vii, 2. Cf. W. Fröhner, *Notice de la sculpture antique du Musée national du Louvre*, n. 129, p. 160.

3) In *Casa Giustiniani sulle Zattere* (nunc ubi adservetur, incertum). Vide Valentinelli, *Marmi Scolpiti del Museo Archeologico della Marciana*, n. 190. « Nella stela giustiniana, inscritta Ἄρτεμος Δημήτριος Μειλήσιος, il guerriero sparge profumi sull' altare. »

Ubi reperta fuerint tria ista anaglypha plane incertum. Permulta Venetias a Græcia nec non a Bœotia adlata fuisse compertum habemus. Cf. anagl. infra descriptum, p. 46, adn. 1, quod nunc Romæ, olim Venetiis adservabant, quodque marmore bœotico factum omnino bœoticum est.

diorque mens, et marmor ad varias et decoras inflectitur imagines.

II. *Mortuum equo insidentem repræsentari.* —

1) Anaglyphum Thespiis repertum, ineunte quarto sæculo effictum, marmore bæotico. Iuvenis concitato equo insidens fertur ad dextram. Tunicula et chlamyde indutus, læva manu habenas quas æneas fuisse constat, dextera virgulam tenet.

Koerte, *A. S.*, 10, p. 519. Figuram vide, *Mittheil. d. d. arch. Instit. in Athen*, IV, Taf. xiv, 1 (1).

Anaglypha Tanagræ reperta duo. 2) Tabula pentelica, media in urbe quam τὸ φρούριο vocant reperta, si fides agricolis habenda est (2). Superiorem et inferiorem anaglyphi partem decorat cymatium, rudioribus anulis ornatum.

In medio iuvenis equo insidens ad lævam fertur: incitatus adeo est equus ut fluctuet chlamys petasusque in humeros reciderit. Læva manu habenas adducit,

(1) Simillimi alterius anaglyphi fragmentum confer nunc Romæ in Museo Chiaramontî adservatum (*Archäologische Zeitung*, XXI, 1863. Taf. clxx, 2): vir barbatus equo incitato insidens ad dextram fertur. Quod fragmentum Venetias a Græcia primum adlatum fuit anno 1687, postea Romam (Dodwell, *Bassi rilievi della Grecia*. Roma, 1812. Tav. VIII. *Museo Chiaramonti*, tav. xlv). Asserit Körte (*Mittheil.*, IV, p. 273), qui id vidit anno 1879, bæoticum esse lapidem « aus bæotischen Kalkstein, einem Material von dessen Verwendung ausserhalb Bæotiens mir kein Beispiel bekannt ist »: inter Bæotica igitur anaglypha adnumerandum est nec non inter sepulcralia.

(2) Votivum illud in templo quodam depositum, non sepulcrale anaglyphum fuisse, parum nostra refert, cum et pariter nos de mortuorum conditione certiores faciat et permulta alia similem effigiem referentia, nil dubium sit quin in necropolesi reperta fuerint (Cf. Körte, *A. S.*, n. 93 et seq., p. 360).

dextram præ se fert. Ante quem virgo duplici tunica induta nec non soleata stat : dextera quæ pendet enochoën tenet, læva quæ pectori propior est pateram. Post equitem concitato gressu insequitur servus, chlamyde indutus : dextera pedum humero incumbens tenet cui infixus est lepus, læva prehensam equi caudam (1).

Quamvis mutilas facies discernere non possis et parum curæ singulis adhibuerit sculptor, haud indecora est operis summa, quod quarto a. C. n. sæculo effictum fuisse verisimile est.

Kœrte, *A. S.*, 145, p. 580.

3) Anaglyphum marmoreum, Athenis in privata domo adservatum, a Kœrte descriptum (*A. S.*, 145, p. 581), quarto a. C. n. sæculo effictum. Vir barbatus tunica et chlamyde indutus, incitato equo insidens fertur ad dextram : manus dextera tenet habenas lævaque pendet. Ante quem stat vir barbatus pallio indutus qui dextram adorantis more præfert.

Qui equo insidet, mortuus. Quare eques incedat, non ea causa est ut quibusdam placuit quod equus hominum fidissimus comes amicusque habeatur (parum enim verisimile est eosdem omnes quos post mortem equo insidentes effinxerint equo suo dum viverent insedissee) (2), ea autem causa est quod

(1) Cf. fragmentum quoddam in Museo Parisino adservatum. Tab. nost. vii, 1. Ubi repertum fuerit, incertum; forte Delphis. Quod laudare et referre propter perfectam cum Tanagræo anaglypho similitudinem expediebat.

(2) Vel quod equo significetur migrationem mortuorum in alteram

equus ad honorem et felicitatem aliquid conferat. Mortuum iam felicem sibi fingunt. Viden ut a venatu incitato equo redeat! Insequitur servus quem venator perculit leporem ferens. En occurrit vir barbatus, provecta ætate notabilis, qui suppliciter eum adoret, vel tenera virgo quæ in eo est ut pateram impleat et reverenter equiti præbeat. Vir et virgo nihil aliud nisi superstites sunt, parentes et amici, qui quem amicitia et amore dum vivebat prosequerantur nunc reverenti pietate colunt.

Pluribus quidem modis easdem imagines expresse-
runt Bœoti, * præsertim Thebani Thespiensesque.
Quas ita discernere expediet.

II (seq.) — *Mortuum equo insidentem, ante altare supra quod equus pedem vel lævum vel dexterum at-
tollit.* — Interdum illucet altari flamma (1). Eques imberbis est et chlamyde plerunque indutus ac galea.

Körte, *A. S.*, 93-123, p. 360 sqq., 146, 147, p. 381 sqq. Omnia ista anaglyphis lapide bœotico ef-
ficta. Exceptis 121-123, 146, 147, omnia in altaris
quadrati speciem cæsa sunt.

Omnia (exceptis duodecim) inscripta : nihil aliud
refert titulus nisi defuncti nomen cui superadditur
ἦρωσ. Ὁ δεῖνα ἦρωσ, vel ἐπὶ τῷ δεῖνι ἦρωι (interdum
ἦρωει).

vitam! Cf. L. Friedlænder, *De operibus anaglyphis in monumentis sepul-
cralibus Græcis*, Regiom. Pruss., 1847, p. 43 et seq.

(1) Seu finem sacrificio fecerunt seu nondum cœptum est sacrificium
(Körte, *A. S.*, n. 146; *Mittheil.*, IV, Taf. xvii, 2).

Ut e litteratura et sculptura conicere licet, pleraque recentia, multa romanorum temporum sunt.

Figuram vide n^o 146, *Mittheil. d. d. arch. Instit. in Athen*, IV, Taf. xvii, 2 (1).

III. *Mortuum iuxta equum stare.*

Nunc tranquillior graviorque imago. Stat enim mortuus chlamyde indutus nec non galea lanceaque : equum tenet habenis. Ante pedes, sæpius exstat altare.

Kørte, *A. S.*, 124-133. Omnia lapide bæotico vel albo vel cæruleo efficta et in altaris speciem cæsa (2).

Eadem litteratura et sculptura quæ supra.

Et mulieres, quod notabilissimum est, equum manu tenentes effictæ fuere. Kørte, *A. S.*, 129-133 (Ἐπι τῇ δευτέρῃ ἡρώδι vel ἡρωί). Quas, cum equis insidere non possent, equo tamen donaverunt, quasi heroum proprius esset equus.

Magnopere quidem nostra referebat ista anaglypha diligentius describere cum Bœotorum proprium ali- quid et peculiare præ se ferant. Quæ causa fuerit cur plura Thespiis et Thebis quam Tanagræ reperta fuerint paulo post diiudicandum erit : nunc velut in

(1) Cf. anaglyphum quoddam in Museo Parisino adservatum, tab. nost. vi, relatum. Quod bæoticum omnino est : bæoticum enim marmor, idemque quo vetustissima Alxenoris statua, et Thebis (?) repertum.

(2) Addamus Kørte, *A. S.*, n. 138, Thebis repertum, *Mittheil.*, IV, Taf. xvi, relatum. Stat vir iuxta equum, qui pedem supra tumulum attollit. Læva manu lanceam, dextra pateram tenet quam mulieri protendit : mulier cenochën infundit. Post mulierem stat supplicum turba, quorum unus porcum iuxta altare tenet.

unum colligenda quaecumque de mortuorum conditione iam didicimus.

Mortuum heroa esse : mortuo enim libari et sacrificari, mortuum votis supplicibusque precibus peti.

Mortuum esse beatum : quem iuvenili flore vigentem equo concitato insidentem effinxere, cum præterea ad id conferat equus ut eques supra turbam adorantium elatus exstet. Quem interdum stantem expresserunt iuxta equum, et verisimile videtur seniores ita stantes representatos fuisse, quos non deceat concitati equi impetus.

Equum igitur cui tot insit gratia seu cum concitatus feratur seu cum stet immotus reclini capite, sæpius adparere in Bœotorum sepulcralibus anaglyphis : qui non mortui comes habitus est, sed ad felicitatem et honorem confert, seu mortuus ut Tanagræus noster a venatu redit, seu ut complures Thebani Thespiensesque armatus stat vel ad bellum vel ad pompam.

Et altaria persæpe in istis anaglyphis efficta : immo pleraque in altaris speciem cæsa esse anaglypha, quasi mortuo consecrata.

Iam quidem rettulimus cippos vetustissimos, quo tempore Dermyn et Kitylum Gathonem et Aristocratem tofo vel marmore effingerent sculptores, in altaris et in ædiculæ speciem cæsos fuisse, quos vel iuxta sepulcrum vel medio in sepulcro deponerent; rettulimus Dermyn et Kitylum et e Thespiensibus unum nudos effictos fuisse, deorum instar, adeo ut constet a remotissima iam antiquitate usque ad re-

centiora illa tempora Bœotos sæpe mortuum maioribus quam pro mortali homine pietate ac reverentia coluisse, mortuum heroem habitum fuisse.

Quid igitur Bœotorum proprium ac peculiare est? Omnia ista tibi consideranti hoc inprimis occurrit, quantopere mortuus a viventibus et superstitibus sit dissimilis. Anne mæsti iam discessurum prosequuntur, vel potius absentem respiciunt, cum non discedentem eum effingant artifices? Quid autem? Parentes supplicum ac venerantium ritu vel dextram attollunt, vel libamina fundunt, quos equo insidens mortuus prætergreditur adeo ut fere nihil in istis humani appareat. Quod si nunc attica anaglypha respicias quæ persæpe supremum discessum referunt, eos esse parentes et amicos senties qui defunctum prosecuti manus supremum iungunt antequam a Mercurio raptus faciem avertat ille et in perpetuum effugiat. Quam severa gravitas inest, at quanta cum humanitate et caritate iuncta! Neque immodestus emicat dolor, neque odiosa maiestas offendit: nihil modum excedit, atticum quidem et exquisitum, cum præterea tranquilla omnia et serena a mobilitate et agitatione abhorreant. Athenienses cum mortem marmore exprimere vellent, quod temporis momentum dolori ac mæstitiæ maxime idoneum sentiebant, supremum discessum, supremumque vale rettulerunt: Bœoti autem, trans præsentis limina mortis et ultra discessum, mortuos iam altera specie et vita indutos, iam heroas, iam deos sibi finxere.

Quo factum est ut inter omnia ista Bœotorum ana-

glypha fere nullum cuiusdam proprium esse videatur, alia autem aliis mortuis convenire dicas. Simillima inter se omnia sunt, cum præsertim atticis anaglyphis minora sint eoque difficilius sculptoribus fuerit quid cuiusque vultus expresserit referre. Equidem perlustranti mihi vel Thebis vel Thespiis monumenta ista, in mentem occurrebant quæ nuper Athenis apud Æsculapii templum reperta videram votiva anaglypha: quibus omnibus iidem supplices insunt, idem virorum mulierumque habitus ita ut nullum aliud discrimen inter eos quam numerum et, quoties incisa fuerint, nomina esse intellegas. Sepulcralia autem Atheniensium anaglypha pleraque proprium aliquid ac peculiare præ se ferunt, quod non omnibus conveniat. Quod ad Bœotica pertinet, mutato titulo iam non defunctum agnoscent parentes !

Bœotorum igitur peculiare sunt quas descripsimus imagines, quippe quibus subeant propria Bœotorum mens propriique sensus. An Bœoti eas marmore effinxerint, ita ut nihil in iis anaglyphis nisi bœoticum sit, nunc inquirendum. Ex his omnibus quæ supra vel descripsimus vel memoravimus, unum tantum Bœoti artificis est, scilicet quæ Tanagræ reperta fuit et Skhimatarii adservatur, Dermynos et Kityli effigies (1). Tofo Tanagræo constat, iisdem ut e tituli litteratura constat temporibus exsculpta quibus Gatho et Aristocrates. Quantum autem dissimilia ! Unum

(1) Lebadeense anaglyphum omittimus, quod Körte Bœoti artificis opus esse refert (*Mittheil.*, IV, p. 270), nos autem non vidimus.

sculptoris opus est doctrinæ cuidam et constitutæ disciplinæ adscripti quas sequitur, alterum artificis, propriis viribus atque opibus contententis neque iurantis ullius in verba magistri.

Cetera a Gathone et Aristocrate usque ad equites macedonicis temporibus effictos eandem præ se ferunt disciplinam, scilicet atticam. Uni tantum, quo refertur vir cicadam cani præbens, nomen inest artificis quem patria naxium nomine Alxenorem novimus; nec dubium est quin et in Bœotia vixerit cum opus suum e marmore bœotico fecerit, et Atheniensibus magistris usus fuerit (nihilominus quam qui Gathonem Aristocratemque et Agasinum effinxerunt): ista enim omnia tibi conferre licet cum notissimis atheniensium cippis quibus incisa sunt nomina Aristionis Lyseæque (1). Cippis eadem forma; eadem materia, pentelico marmore, et Agasinus et Gatho efficti; eiusdem disciplinæ vestigia insunt. Stantes enim viri et ad dextram conversi adparent: quo fit ut, cum easdem eiusdem lateris partes expresserint sculptores cumque corporum statura pæne eadem sit, multo facilius nobis colligere liceat quantum alii aliis similes sint. Capitis eadem species est (2), iisdem lineis definiti oculi, et barba velut in acumen desinens. Quod ad brachia et crura pertinet, ad idem exemplar ficta

(1) Exsculptus unus, Aristio: depictus tantum alter Lyseas neque ideo cum ceteris non conferendus. Aristionem vide apud J. Overbeck, I, p. 150, fig. 26, Lyseam in *Mittheil.*, IV, Taf. 1.

(2) Eadem coma apud Alxenoris opus et apud Aristionem, cum galeam apud unum cincinnati capilli excedant, pileum apud alterum.

sunt ; quod ad pedes et manus eadem diligentia perfecti ; notabiles præsertim pedes quorum lævus parumper antecedit quo minus vacua videatur cippi pars inferior. Et cum attentius singula consideraveris et cum universa fueris amplexus, nihil dubium est quin omnia ista anaglypha perfecta similitudine notabilia videantur.

Quid autem mirum si Atheniensium disciplina a remotissima antiquitate apud Bœotos domicilium constituerit cum et e Pharsalio quodam anaglypho et e nummis Æniis et ex anaglypho Abderæ reperto compertum habeamus iam quinto a. C. n. sæculo et in Thracia et in Macedonia insedissee artifices Atheniensibus magistris usos (1). Quanto facilius in Bœotia quæ Atticæ proxima est ! Novimus quidem antiquitus iam inclitissimos Atheniensium sculptores, Calamida et Phidiam, statuas deorum Bœotis effinxisse (2), quas quidem forsân Athenis perfectas transvehi curavere. Nonne autem verisimile est permultos et in Bœotiam ipsos venisse et in Bœotia vixisse, Praxitelem forte cum staturis templum Herculis Thebis decoraret (3). Quem legimus apud Pausaniam permulta opera Bœotis effinxisse et Plataënsibus et Thebanis, Thespian-

(1) Cf. E. Pottier, *Bull. de corr. hellén.*, IV (1880), p. 256-259. *Fragment de stèle archaïque provenant d'Abdère*, tab. VIII. — Nec non cf. O. Rayet, in *Monuments de l'Art Antique*, IV^e liv., VII, p. 4 in fine.

(2) Calamidis opera et Thebis (Pausan., IX, 16, 1) et Tanagræ (IX, 20, 4 ; 22, 2). Phidiæ et Plataëis (IX, 4, 1) et Thebis (IX, 10, 2). Permultorum aliorum nomina laudare, Pausaniam (lib. IX) evolventi facillimum est.

(3) Pausan., IX, 11, 4.

sibûs præsertim cum Thespiensis foret Phryne, et Lebadeensibus (1).

Bœotiam igitur quasi obtinere Athenienses artifices : Athenienses dico, i. e. Atheniensium disciplinæ doctrinæque adscriptos, seu patria Bœotos seu Naxios ut eum quem supra laudavimus, Alxenora. Et apud Thespienses et apud Thebanos imprimis floruisse videntur. Thespias sub radicibus Heliconis tanquam museum habebat Bœotia : quas permulti continuo invisabant ut in templis deorum et in Musarum valle innumeras Musarum ac poetarum statuas admirarentur. Dicas ex iis figuris constitisse divinum quoddam concilium et Areum pagum, ubi inclitissimi cuiusque sculptoris nomen eminuerit (2). Nec dubium quin in urbe plures fuerint officinæ ubi minores artifices sepulcralia anaglypha effingerent : Thespiis enim repperitam fuisse rettulimus maximam anaglyphorum partem in quibus eques adparet.

Nec non apud Thebanos multi fuere sculptores quorum quæ supersunt nomina collegit olim Decharme (3) : alii quidem quorum evanuerè opera deorum imaginem expressere ; ignobiles alii ac minores viliora ista sepulcralia effinxerunt anaglypha, quorum nonnulla superesse iuvat.

Quod ad Tanagram pertinet, nullæ exstitisse officinæ videntur cum supra rettulerimus duo tantum

(1) Plataeis (Paus., IX, 2, 5) ; Thebis (IX, 11, 4) ; Thespiis (IX, 27, 3 et 4) ; Lebadæ (IX, 39, 3).

(2) Pausan., IX, 26, in fine ; 31.

(3) *De Thebanis artificibus*. Parisiis, 1869.

reperta fuisse anaglypha ubi mortuus herois specie indutus adpareat, et compertum habeamus Tanagram diutissime floruisse variis opibus affluentem (1). Quæ causæ sint inquirenti, hoc primum tibi animadvertendum est, nullam Tanagræis materiam in promptu fuisse qua corpora et vultus hominum exprimerent : duriores enim lapidem nigrum esse, molliorem tofum. Spectandum præterea proximos Athenis fuisse Tanagræos adeo ut et anaglypha inde sibi comparaverint, quod certius mox habebimus cum tertiam anaglyphorum Tanagræ repertorum seriem consideraverimus, i. e. anaglypha quibus nihil quod bæoticum vocetur inest quæque Atheniensium manu facta atticas imagines referunt.

De anaglyphis ex Attica advectis.

Quæ ceteris multo plura sunt, cum xxviii integra vel trunca in museis Skhimatarianis descripserim. Atticæ sunt et materia et imago et manus, cumque pleraque recentissime romanis temporibus, ut e sculptura et litteratura adparet, efficta fuerint, paucis verbis ea

(1) Hos artificum titulos in Skhimatarianis museis exscripsimus :

1) Εὐθουλίδης ἐπόησε. Larfeld, *S. I. B.*, n. 496.

2) Πολύξεν[ος] ἐπόεισε. Id., *ibid.*, n. 501.

3) **ΙΟΔΩΡΟΣ ΜΕΛΑΝΟΣ** ... ἰώδωρος Μέλανος

Σ ΔΙΟΣΚΟΡΟΙΣ τοῦ[ς] Διοσκόροις

/// ΑΘΗΝΑΙΟ// ΕΓ/// ... Ἀθηναῖο[ς] ἐπ[όεισε].

Exscripsi et ectypo utor. Tertius versus antigraho quo usus erat Cumanudes deest (Larfeld, *S. I. B.*, n. 486).

4) In ecclesia S. Thomæ, Καφισίας ἐπόεισε. *S. I. B.*, 495.

memorare expediet. Addendum adeo trunca exesaque piura esse ut a Kœrtianis descriptionibus haud semel abhorreant nostræ et sæpius mulierem mihi videre videar cum virum agnoscit Kœrte.

Quod ad materiam pertinet, omnia e pentelico marmore facta.

Quod ad formas, cf. quod supra (p. 36) et tabulas in libro cui nomen est : *die Grabsteine der alten Griechen*. Formæ omnes atticæ.

Quod ad imagines, nihil nisi humanum inest cum præsentem vitam omnia referant, non iam ulteriorem ut sæpius in iis quæ antea descripsimus anaglyphis.

1^o) Refertur qui frequentissime apud Athenienses occurrit, supremus discessus. Defunctus iuxta parentes stat vel suorum uni manum præbens (in anaglypha) (1).

2^o) Refertur defunctus cotidianum quid agens. Vir manu venabulum tenet, ante quem canis, post cerva (2). — Mulier cum ansere ludere videtur (3). — Mulieri cistam præbet serva (4); — alii spetulum alia (5). — Mulier sedens cum cane ludit (6).

Sæpe defuncti condicionem manifestam fecit sculptor. Isidis sacerdos ea est quæ situlam læva sistrum dextra tenet : iuxta puellula cistam fert (7). — Crini-

(1) Kœrte, *A. S.*, n. 33, 35, 60 (?).

(2) *A. S.*, 73. Cf. 74.

(3) *A. S.*, 40.

(4) *Ibid.*

(5) 27.

(6) 41.

(7) 54.

bus passis, puella virgam thyrso similem læva manu tenet (1). — Et thyrsus ferre videtur virgo quæ duplici tunica et leonis pelle induta incedit (2).

Sæpius denique contendisse artifex videtur ut veram defuncti effigiem referret : nihil dubium quin voluerit certa delineamenta et cuiusdam vultus peculiarem speciem exprimere (xvi anaglypha). Stat vir vel mulier, adversa fronte, gravitate habitus quasi romana notabilis : lævum pendet, dexterum brachium recline et pectori infixum hæret (3). Semel occurrunt duo homines, quorum unius dexterum brachium alterius collum amplectitur (4).

Informia pleraque esse constat et romanorum imperatorum tempore cæsa, ut ex habitu hominum et e litterarum genere, inter quas Γ et Ψ , adparet. Duo tantum non adeo vilia sunt : 1^o) Mulier sedens dexteram antistanti iuveni protendit (5) : obliqua est mulieris imago, at quanquam alterum tantum capitis latus ostenditur, ita conversum est pectus ut totum adpareat, quod animadvertas licet in inclitissimis Atheniensium anaglyphis (6). Quid autem mirum si effectum id in Attica fuerit cum iuxta atheniensis cuiusdam sepulcrum steterit : ἐπὶ Εὐφοροσύνη Κριτοβούλου Ἀθηναία? Verisimile est Critobulum Tanagræ vixisse

(1) 55.

(2) 56.

(3) 78, 80, 48, 45, 46, 47, 51, 57, 72, 89, 84, 37.

(4) 87.

(5) 33.

(6) In eo quo effingitur Hegeso, Proxeni filia.

ubi mortuam sepelierit filiam nec non sepultus ipse fuerit, cum titulus alter eidem cippo incisus legatur : ἐπὶ Κρι(το)βούλω. 2^ο) Mutilum anaglyphum. Stat adversa fronte chlamyde indutus iuvenis, cuius caput in dexterum humerum recline est (1). Ex his qui Skhimatariana musea inviserunt, neminem fugit quantum id opus inter cetera excellat : « quod cum spectas Lysippi figuræ in mentem veniunt (2). » Nil dubium est quin atticum sit.

Nec nos fugit incertiora ea iis videri posse qui monumenta ipsi non inspexerint vel monumentorum imagines sub oculis non habeant : nec quamvis plures libello adiecerimus tabulas facilius ideo fuit probabiliora argumenta colligere. Quoties enim de anaglyphis et de statu is agitur, non opus tantum unum singulatim spectandum vel duo vel quattuor, sed alia cum aliis conferenda, ita ut multum valeat diuturnus monumentorum usus præsertim cum in uno loco omnia collecta adserventur : quod Tanagræ evenit. Haud aliter adiuvat titulorum diuturnus usus si quis e litteratura inscriptionum ætatem definire contendit : ut litterarum species, ita anaglyphorum tanquam indoles et habitus aliquid præ se ferunt, quod paulatim plura expertus sentias quodque certius exprimere non possis.

Iam quidquid supra mortuum (ἐπὶ τῷ θανόντι) eminebat, varios cippos anaglyphaque descripsimus, quæ

(1) 24.

(2) Robert, *Arch. Zeitung*, 1876, p. 153, n. 4.

Tanagram venientibus vel discedentibus occurrebant. Qui fuerit Tanagræarum necropoleon universus adpectus inquirenti tibi primo animadvertendum multo maiorem fuisse nigrorum cipporum multitudinem, quibus erant consiti colles et campi præsertim ex utraque parte viarum, ita ut colore obscuriores sub splendido cælo iuxta albos oppidi domos (1) eminuerint. Paucos fuisse neque in magnam altitudinem adsurrexisse tofinos cippos, inter quos emicant maiores ædiculæ: nec non parvum esse cipporum e marmore factorum et anaglyphorum numerum, adeo ut qui necropoleis olim inviserit non conicere valuerit viventium urbem fortunis et divitiis adfluisse.

Immo! ne omnes istos recte et ordine stantes cippos videre tibi videaris! Quantum erravit si quis Tanagræas necropoleis cum Atheniensium Ceramico vel cum hodiernis nostris cœmeteriis contulit ubi tanta superstitem pietate vel vilissima sepulcra exulta sunt! Rettulimus enim Tanagræ antiquitus iam erutos fuisse plerosque cippos, huc illuc sine ulla subiacentis religione transvectos adeo ut mihi, cum desertas istas necropoleis peragrarem medias inter fossas cipporumque fragmenta, turcica sepulcra in mentem venirent cippis confertissima, quibus nihil aliud nisi decoræ litteræ incisæ sunt turcicumque pileum insculptum: stant alii, alii iacent, inclinant alii, alios terra iam operuit, alios virgulta occupant: permulti mutili. Ruinæ undique et sub opaca cypressorum um-

(1) Vide Dicæarch., *H. G. F.*, II, p. 257, § 8.

bra inexcuperabilis horror! Eos fuisse Tanagræorum cippos macedonicis quidem et romanis temporibus crediderim, et per Kokalii declivia unde facilius pluviis aquis rapti traherentur, et in Balianis campis et in Liatanniatica planitie, quo tempore urbs sepulcrorum incuriosa splendidam tute vitam agebat.

CAPUT II.

DE SEPULCRIS. QUAS FORMAS PRÆBEANT SEPULCRA.

Quod ad anaglypha et cippos, quod ad titulos pertinet, ea et vidimus et exscripsimus ipsi. Sepulcrorum autem fere nulla nunc vestigia supersunt : quæ, cum aperuerit quis et exspoliaverit, vel rursus terra replet vel eruit lapidesque aut tegulas aufert quibus decorentur munianturque viventium domus. Sepulcri loco nihil aliud superest nisi fossa.

Agrícolas, cum clandestinas indagaciones properant et privatos cum, concedente Republica, agros suos explorant, incuriosos adeo esse nil mirum est. Comperit autem habemus *Societatem Archæologicam* iustas et compositas indagaciones in Tanagræorum necropolesi curavisse, cum præsertim anno 1876 per plures menses operæ incubuerit (1) : quas diurnis commentariis descripserunt qui operi præfuere Stamatakis et Dimitriadis. At, cum inprimis Societas Archæo-

(1) A 15/27 die februarii mensis usque ad 4/16 d. m. Iulii. Et anno 1873 et anno 1875 indagaciones curavit Societas Archæologica, minores quidem.

logica propositum animo haberet figlina sigilla sibi comparare, quæ iam per Europam vulgata et in Skhimatariotarum Atheniensiumque domibus et in externis museis frequentissima nemini nisi Societati deessent, factum est ut indagationes properius celerarent commentariosque neglegentius conscriberent. Usuperitissimus evasit Stamatakis discernendi quibus sepulcris pulcherrima insint sigilla (ἔκλεκτα εἰδώλια) quibus vilia (πρόστυχα) (1) : quod ad sepulcrorum formas pertinet, cum commentarios suos nunquam roganti mihi permiserit, referam quæ mihi verbo tenus rettulerit.

Et vir diligentissimus, H. G. Lolling, indagationibus adfuit quæ impensis Paparrigopuli factæ fuere. Commentarios quidem non conscripsit, sed quod de sepulcris animadverterit in alieni libri procœmio relatatum invenies : *Griechische Thonfiguren aus Tanagra*, von R. Kekulé, 1878 (Procœmii p. 11-15). Lollingii testimonium maximi momenti est.

Ipsè denique anno 1879 indagationibus adfui quibus præerat Herneris, et sepulcrum unum anno 1878 aperui.

§ 1. — *De sepulcrorum variis formis.*

Quo facilius intellegantur descriptiones, indice utendum.

I. *Fossa quadrata* (ὄρυγμα), ita obliquis lateribus

(1) Nec non huius rei multo peritiores sunt agricolæ!

cavata ut supra latior sit quam infra. Plerunque fossa in magnam altitudinem, 2 vel 3 metra, acta (1).

II. *Fossa eadem* (ὄρυγμα) *cui tegulae supersunt.* — Interdum mortuo subiacent tegulae, interdum duabus tegulis una ad caput altera ad pedes continetur mortuus. 1 vel 2 metra alta.

Quod ad tegulas pertinet quibus operculis utuntur, triplex est ordinationis genus : 1° Planæ duæ tegulae una in altera incumbunt ita ut aetomæ formam referant (2); 2° Cavæ tegulae quasi fornicem fossæ imponunt (3); 3° Tegulae transverso positæ superiacent fossæ.

De tegulis istis et de inscriptis figulorum nominibus vide *Appendicem*, I.

III. *Argilleæ thecæ* (Δάρνακες πήλινα). — Plus L in Skhimatariensis museis adservantur, quarum varias formas descripsi.

1° Theca nihil aliud est nisi longior tegula, concava quidem in qua iaceret mortuus (Exemplaria II, quorum unum 0,95 long., 0,29 lat., 0,055 crassum).

2° Theca solii (quod nos *baignoire* vocamus) formam refert, seu quadrati seu rotundi. Quæ maxima 1,80 long., 0,60 lat., 0,05 crass. Nonnullis subest

(1) Compertum habemus talium apud Athenienses sepulcrorum latera sæpe argilla mixta fuisse, quo solidiora fierent : quod equidem animadverti cum indagationibus adessem quas in Ceramico, propriis impensis, vir artium curiosissimus Messinesis anno 1879 instituit.

(2) Cf. Stackelberg, *Die Gräber der Hellenen*, Taf. VII, 3.

(3) Cf. Stackelberg, Taf. VII, 2. Tegularum dispositio non omnino simillima est.

infra foramen quo posset aqua effluere quæ mortuum fœdasset (Exempl. XL).

3^o Theca undique clausa dimidii solii formam refert (Ex. III).

4^o Theca in speciem vasis efficta. Dicas grandia ista vasa quibus arbusta committimus (Integrum unum exemplar superest fragmentaque multa).

Ex his thecis una tenuissimo gypso illita est, forte rubro colore insuper decorata ; alteri nomen mortuæ in margine incisum legitur : Θερίπιον (1).

Tegulis opertas fuisse omnes non constat.

Pleræque altius repertæ (1 m. ; 1 m. et part. metri dimid.).

IV. *Tofina sepulcra* (Πόρινοι τάφοι).

Genera duo animadverti : 1^o) Sepulcrum in tofo ipso incisum, sub parum alta terra ; 2^o) Sepulcri latera et fundamentum tofinis tabulis constant (2). Interdum quod latus maius est una tabula constat quæ sæpe 2 m. longa est ; interdum duabus tabulis constat.

Sæpe et latera et fundamentum coloribus ornata sunt : sive omnino gypso illitis color ruber inest, sive colore vel rubro vel nigro fasciæ tantum et anuli et mæandra decorata fuerunt.

Sepulcra ista omnia operta fuisse constat, perraro

(1) *I. G. A.*, 130.

(2) Interdum fundamentum nihil aliud est nisi solum ipsum, cum solum e tofo constet. Quod animadverti a. 1879, cum Herneris indagacionibus adessem. Interdum nihil aliud est nisi terra ipsa, ut in eo quod aperui sepulcro.

una tabula tofacea, plerunque tribus e transverso collocatis ita ut parumper latera excesserint tabulæ. Interdum vix cæsæ sunt istæ tabulæ, interdum tabularum loco proximos cippos vel inscriptos posuere.

Cum frequentissima Tanagræ ea sepulcrorum genera (alterum inprimis, quod 2^o rettulimus) esse constet, nonnulla describere expedit.

Continua duo sepulcra in Kokalio effossa, diebus septimo octavo nono decimo m. decembris anno 1879, presente me.

1) 1 m. 12 alt. Tribus tofinis tabulis opertum, 0,27 crassis. Sepulcrum ipsum (quod agricolæ vocant *κασσοῦλα*) 1 m. 90 long., 0,70 lat., 0,60 alt. Latera gypso albo illita et tænia nigra decorata erant.

2) 1 m. 20 alt. Tribus tofinis tabulis opertum vix cæsis, 0,21 crassis. *Κασσοῦλα*, 1 m. 90 long., 0,76 lat., 0,70 alt. Et latera et fundamentum gypso albo illita: omnino, ut agricolæ vocant, *χρισμένος τάφος*.

Longius, xxiii passus distantia, alia sepulcra inter quæ :

3) 1 m. 30 alt. *Κασσοῦλα*, 2 m. long., 0,75 lat., 0,67 alt., non illita. Operta quattuor cippis nigro lapide factis et inscriptis. Inediti adhuc tituli : Ἀντιδοτῆς (cippus 0,86 alt.), Φιλώ (0,93), Κάρου (1 m. 13), Πουθοκλεῖς (1 m. 52). Nec non constat non eandem esse cipporum istorum, quibus operculis usi fuerint, altitudinem (1).

4) Sepulcrum a me in Baliano campo apertum,

(1) Interdum cum longior cippus videretur, eo fracto utebantur.

mense aprili a. 1878. — 0,40 alt. Opertum tribus tofinis tabulis, 0,70 latis, 0,30 crassis. Κασσοῦλα, 1 m. 97 long., 0,70 alt., illita omnino et rubro colore ornata.

V. *Tofaceæ thecæ* (Δάρνακες πόρινοι). Unum vidi in Baliano campo, iuxta S. Polycarpi ecclesiam; 2,25 long., 0,96 lat., 0,087 crass.

Nihil aliud igitur nisi tofum et argillam ad condenda sepulcra adhibuisse Tanagræos constat : marmore nunquam usos esse. Quod ad tofum pertinet, quantum Tanagræ abundaverit iam rettulimus; quod ad argillam, qua tot sigilla efficta fuerunt (de quibus mox disseretur), verisimile est quam vocarent *Ταναγρικὴν μοῦραν* Tanagræis adfatim figlinam terram suppetiisse: compertum enim habemus Aulidis incolas (qui portus Tanagræ proximus) figulos omnes fuisse (1). Quod novere quidem qui nunc figlina sigilla quæstus gratia appetunt tantæque curæ habent ut integra recentibus coloribus renouent, saucia novis muniant membris: vicum enim quendam Tanagræ proximum, nomine Bratsi, petunt unde terram sibi comparent. O exquisitam diligentiam, ne alienas terras misceant et contaminent!

Rettulimus mortuorum sedes sæpe splendidis coloribus rubro plerunque decoratos fuisse, quorum aman-tissimos Tanagræos novimus, cum coloribus et domos ut apud Dicæarchum legimus et vestes ut e figlinis sigillis adparet exhilararent. Qui ditissimi erant contendebant

(1) Pausan., IX, 19, 5.

ut eadem mortui parentis quam viventis sedes foret : mortuo enim depicti sunt illi colores qui superstitibus parentibus, adaperto semel sepulcro, nusquam erant : mortuo congesta quam mox describemus funebris illa supellex. Id enim inter splendidissima Græcorum, Bœotorum præsertim, et ambitiosa nostra sepulcra interest, quod in illis omnia mortuo ordinata fuerunt, in his autem omnia viventibus instructa viventium oculos pellicunt : quasi oculos, non animum, memores esse deceat !

§ 2. — *An variorum sepulcrorum ætas definiri possit.*

Et materia qua facta fuerunt et forma et adhibitibus coloribus et funebris supellectilis varietate inter se differunt sepulcra : ætatem vero definire qua condita quæque fuerint, formam tantummodo spectanti tibi non licet. Theca quidem una est cuius ætatem certe definire possis, quippe cui vetustissimis litteris incisum fuerit mortuæ nomen (Θερίπιον), ita ut comperit habeamus a remotissima iam antiquitate, a sexto a. C. n. sæculo, Tanagræos thecis argilleis usos fuisse : nec non asserere licet et ab origine tofo ceterisque sepulcrorum formis (exceptis forte tofinis thecis) usos esse.

Immo, promiscue in tribus Tanagræorum necropolisin omnes sepulcrorum formas occurrere constat : id unum animadverti, argilleas thecas plerasque in Baliano campo repertas fuisse.

Adparet igitur nullam antiquiorem esse formam,

recentiorem nullam. Contendenti tibi sepulcrorum ætatem definire et ornamenta spectanda sunt et funebris supellex.

§ 3. — *An ordine disposita fuerint sepulcra.*

Tanta nunc adoportorum Tanagræ sepulcrorum multitudo est, ut inquirenti cuique facile sit quomodo disposita sepulcra fuerint novisse. Agricolas inprimis interrogare expedit qui, cum callidissime mortuos quasi venentur, exploratum habent quibus locis ferienda sit ligone tellus.

Usitatum erat mortuum versus occidentem spectare (1) : quod animadvertas licet apud pleraque Tanagræorum sepulcra. Sæpe autem versus meridiem vel septentriones spectat (2).

Perraro seclusum unum sepulcrum reperitur : plura autem in ordinem redacta occurrunt vel sex vel multo plura, ita ut agmen veluti primam aciem sequatur universusque ordo in eandem partem spectet.

Iam rettulimus confertiores sepulcrorum ordines præter vias fuisse, præter viam quæ Thebas ducebat (in Baliano campo), præter viam quæ Aulida ducebat in Kokaliano). Aliis locis sæpe permixta omnia : adsunt, subito desunt; hic unum offendis, hic turbam et multitudinem, hic compositum agmen, hic plura fugientium more sparsa.

(1) Cf. K.-F. Hermann, *Lehrbuch*, IV, *Die Griechischen Privatalterthümer* (editio tertia, 1882), p. 379, adnot. 1.

(2) Cf. Lolling, a Kekulé laudatum, in *Proæmio*, p. 11 et seq.

Cum igitur terram clausis sepulcris superiniecis-
sent, qui fieri potuit ut Tanagræi mortuorum suorum
sedes deinde agnoscerent. Cœmeteria quidem nostra
urbes dicas quippe quæ in vicos viis divisa sint
ita ut eadem nos via ferat ad notissimam regionem
et ad dilectissima sepulcra, quæ piis manibus exco-
limus et ubi cum mortuis rursus loqui rursusque
supremum illud vale proferre iuvat. Tanagræis autem
ubi viçi et viæ? At enim supersunt cippi quibus in-
cisum fuit olim mortui nomen, quo agnito facile se-
pulcrum reperient (1)! Cippos vero eruere et rapuere
alii quibus recentiora sepulcra vel struerent vel ope-
rarent! Et antiquitus id usitatum fuisse compertum
habemus: operta enim cippis quædam sepulcra vi-
dimus quæ, ut e figlinis sigillis conicere licuit, re-
mota ætate condita fuerant. Neminem tamen fugit
mortuorum et sepulcrorum religionem Atheniensibus
et Bœotis magnæ curæ fuisse, neque dubium videtur
quin cippos eruere legibus yetitum fuerit, cum aliena
sepulcra vel adire nisi cum efferretur mortuus legibus
interdictum fuisse noverimus (2). Quid aliud igitur
nisi credendum sepulcrorum incuriosos fuisse Tana-
græos, adeo ut ea non excolerent vel ornarent vel re-
ficienda curarent: non quod mortuorum incuriosos
fuerint sed in urbe forsân, domi, non iuxta sepul-
crum, manibus sacra faciebant iustaque rite solve-
bant.

(1) Nec non rettulimus sæpe cippos medio in sepulcro positos fuisse.

(2) Plutarch., *V. Solonis*, XXI, in fine.

CAPUT III.

QUÆ MEDIIS IN SEPULCRIS DEPOSUERINT TANAGRÆI.

Cum iam parata mortui sedes sit, adeamus nunc urbem ubi mortuum iam propositum (προτιθέμενον) parentes iustis lamentationibus prosequuntur, cum in eo sint ut eum efferant, manibus quidquid in sepulcrum mox congerent tenentes.

§ 1. — *De elatione apud Tanagræos (ἐκφορά).*

De sollemnibus funebribus apud Tanagræos vel Bœotos nihil ullus nobis tradidit scriptor. Plutarchus quidem Chæronensis refert in vita Solonis Bœotorum leges non ab Atheniensium legibus abhorere (1), quas luculenter novimus et e Plutarchi libello cum Solonis leges laudet et e titulo in insula Cea reperto : quæ lex est de funebribus sollemnibus ad Solonis legum imitationem sine dubio facta (2). Nec

(1) Id., loco laudato.

(2) Cf. U. Köhler, *Ein griechisches Gesetz über Todtenbestattung (Mittheil., I, p. 139).*

non Athenienses artifices sollemnia ista repræsentare curaverunt præsertim in depictis vasis (1), ita ut communes Atheniensium Bœotorumque leges facile colligas.

Quas describere nunc non expedit cum Bœotorum peculiare nihil illis insit : pauca tamen de elatione quam Græci vocabant ἐκφοράν dicenda, et id unum inquirendum erit quorum impensis facta fuerit. Nec dubium est quin plerunque sua pecunia parentes et efferendum et sepeliendum mortuum curaverint (2) : e titulis autem quibusdam novimus interdum aut civitatem ipsam aut thiasos impensam præstitisse.

De elatione publico sumptu facta. — Inter figlinos titulos in *Appendice* editos tres notabiliores sunt : quibus, cum ceteri proprium nomen vel singulas litteras i. e. figuli nomen vel sigillum, referant, inscripta fuit vox : Δαμόσιος. Quæ quidem iam occurrit in latere et in tegula in Peloponneso repertis.

1) ... της. Δαμόσιον (3).

2) Δαμόσιος (4).

Nec dubium est quin significetur tegulas istas publico ædificio destinatas fuisse : quod ad Tanagræas

(1) Cf. Max. Collignon, *Note sur les cérémonies funèbres en Attique in Annales de la Faculté des Lettres de Bordeaux*, I (1879), p. 315-321.

(2) Non adeo parva fuisse impendia constat. Cum heredem neminem relinqueret mortuus, concurrebant et ad efferendum et ad sepeliendum ut, officiis sollemnibus functi, heredes haberentur. Vide Demosthen., *C. Bœotum*, II, 1023, 5²; Isæum, *De Cironis hereditate* (VIII), 23.

(3) In latere Tegeæ reperto. Le Bas, *Péloponnèse*, 341 f.

(4) *Mittheil.*, IV, p. 144. Tegula Tegeæ reperta.

pertinet, constat illud ædificium nihil aliud nisi sepulcrum fuisse, Δαμόσιος τάφος. Senatus populique iussu, publica pecunia et conditum fuerat sepulcrum et elatus mortuus quem verisimile est prosecutos fuisse magistratus et ante sepulcrum verba fecisse, iustam optime de civitate merito gratiam referentes (1).

Utrum in eadem cuiusdam necropoleos parte disposita fuerint publica sepulcra an potius promiscue sparsa, incertum.

De elatione thiasotarum sumptu facta. — Novimus quantum tertio a. C. n. sæculo et postea floruerint thiasi et erani et orgeones quorum sodales, cum id consequi viderentur ut communia sacra facerent, quasi gentiles erant : nec non plerique fortunis inopēs cum et feminas et alienigenas et servos adscribebant (2). Quos inter thiasos qui ditiores erant sepe- liendos suos curabant ut et mortui bene haberent, εὐσχημονεῖν αὐτοὺς καὶ τετελευτηκότας (3).

Tres thiasos apud Tanagræos novimus a quibus sodales sepultos fuisse constat ; et nomina et tituli laudanda.

I. Thiasus Athenaistarum (τὸ Ἀθαναϊστήν vel ἡ σύνοδος τῶν Ἀθναϊστῶν).

(1) Etiam mortuos corona aurea a Bœotis interdum honorari adparet e sepulcrali titulo Thebano (Kaibel, *Epigrammata græca*, 502 a. Cf. Emil Preuss, *Quæstiones Bœoticæ*. Leipzig, 1879. *De honoribus Bœotorum publicis*, p. 22.

(2) Vide P. Foucart, *Associations religieuses chez les Grecs*. Paris, 1873, p. 5 et seq.

(3) P. Foucart, *ibid.*, *Inscript.*, n. 6, l. 12, p. 194. Cf. *ibid.*, p. 46 in fine.

- 1) Ἐπὶ Λυκάωνι· 2) Ἑλπίς· 3) Νικόμαχε
οὔτον ἔθα- ταύτην ἔθαψεν ἢ σύνο- χαῖρε·
ψαν τὸ Ἄθα- δος τῶν Ἀθηναῖστῶν. Οὔτον ἔθαψαν
ναῖστί. τὸ Ἀ[θηναῖστί].

Exscripsi 1 et 2 et ectypis utor; 3 publici iuris fecit Cumanudes (Ἀθήναιον, II, p. 403, n. 3) : non vidi. De litteratura titulorum et ætate, vide Larfeld, *S. I. B.*, p. 208, n. 507, 508.

II. Thiasus Dionysiastarum (τὸ Διωνιουσιαστή).

- 4) Γαλάτας·
Οὔτον ἔθαψαν τὸ
Διωνιουσιαστή.

Publici iuris fecit J. Martha, ectypo meo usus. *Bull. de corr. hellén.*, IV, p. 141. Cf. Larfeld, *S. I. B.*, p. 209, n. 509.

II. Thiasus synthytarum (Συνθύται).

- 5) /// ONEΘA /// τοῦτ]ον ἔθα[ψαν
ΞΥΝΘΥΤΑΙ οἱ] συνθύται.

Titulus ineditus. Exscripsi et ectypo utor. Cf. Larfeld, *S. I. B.*, p. 129, n. 243. "Ὅρος τᾶς γᾶς τᾶς ἰαρεῶς τῶν συνθυτᾶων τᾶμ Μωσᾶων Εἰσιοδείων.

Ex his titulis compertum habemus duo (1 et 2) in Liatanniatico campo repertos fuisse : neque ideo asserendum nobis videtur Athenaistis usitatum fuisse mortuos ibi sepelire in quodam vico terminis recte definito. Thiasotis enim non id curæ est ut in communi sede requiescant sodales, quod iis propositum

erat qui ὀμόταφοι vocabantur (1), id autem ut sepe-
liantur i. e. ut iusta iis solvantur. Et in Rhodiaco ti-
tulo legimus a ditissimo quodam viro thiasotas uno
agro donatos fuisse « ad sepulcra, ἐς ταφία » : ne au-
tem intellegas agrum hunc quasi thiasotarum necro-
polin gentilem fieri, sed conducendum esse ut fructi-
tibus eius thiasotæ suos sepeliant (2).

Ergo ante solis ortum, silente pompa (3), mortuus
effertur : quem prosequuntur lugubri veste induti
parentes vel magistratus vel thiasotarum turba. Quis-
que manu monumentum quoddam tenet vel vas fictile
vel figlinum sigillum. Incedunt igitur per conferta
sepulcra et iacentes cippos usque ad recentiorem fos-
sam ubi cum steterint libamina et sacra faciunt.
Quibus perfectis abeunt, præcedentibus mulieri-
bus (4) : iam sol oriens Eubœæ montes albescentes-
que Tanagræorum domos illustravit.

Aperientibus nunc sepulcra quid adparet? Permixta
omnia et confusa sunt. Quantum errat si quis, dum
figlina Tanagræorum sigilla miratur, credit ita inte-
gra ea indagantibus occurrisset, recte et ordine dispo-

(1) ὀμόταφοι laudantur in *Digest.*, XLVII, tit. 2^o, 4 : *De Collegiis et Corporibus*.

(2) J. Martha, *Inscription de Rhodes. Donations au profit d'une commu-
nauté d'éranistes*, in *Bull. de corr. hellén.*, IV, p. 138 et seq.

Cum titulis supra laudatis confer inscriptionem in *Appendice* (n. II)
relatam. Index nominum est, quibus sæpius addita sunt vocabula χρῆστός
et γὰρος, quorum prius (χρῆστός) frequentissime in funebribus titulis
legitur. Inscriptioni præterea incisa est amphora, quod vas sæpius in
cippis funebribus occurrere animadvertimus.

(3) Cf. titulum in insula Cea repertum, l. 10-14 (*Mittheil.*, I, p. 143).

(4) In eodem titulo, l. 18-20 (*Mittheil.*, I, p. 144).

sita! Pleraque sepulcra terra repleta sunt, seu quod cadaveri parentes ipsi terram superiniecerint, seu quod per tofinarum tabularum commissuras rimasque tempore sese infuderit. Altera igitur in medio sepulcro instituenda indagatio, neque ligone iam utuntur sed cultello et tenuissimis acutissimisque virgis, ne durius gracilem illam pretiosamque funebrem supellectilem offendant. Quibus indagationibus cum adfuerimus, quod et de mortuo et de supellectili animadverterimus breviter exponendum.

§ 2. — *De mortuo. Et humata et cremata fuisse cadavera.*

Pleraque cadavera versus occidentem spectare retulimus.

Sæpe mortuum medio in sepulcro crematum fuisse constat : interdum, cremato cadavere, piis manibus ossa colligebant et in hydriam ingerebant quæ in sepulcro remaneret.

Antiquissimis iam temporibus cremata fuisse cadavera non est dubium (1) : et animadvertit Stamatakis in iis sepulcris quibus cremata cadavera insunt reperta plerunque fuisse et alabastros permultos et antiquioris artis sigilla. Tanagræos tamen constat humare potius quam cremare corpora solitos fuisse.

(1) K.-F. Hermann, IV (1882), p. 373, adnot. 4 et 5.

§ 3. — *De funebri supellectili. Qualis fuerit funebri-
supellex.*

Funebrem supellectilem dico quidquid in sepulcris
deponere plerique Tanagræi soliti fuerunt, i. e. :

Vasa fictilia ;
Figlina sigilla ,
Lucernæ fictiliaque alia ;
Nummi ;
Ærea.

His constat funebri supellex, nec non plura omni-
simis quæ interdum in sepulcris reperta referuntur,
coronas aureas, cerussam, pigmenta : quæ quidem
non adeo supellectili adnumeranda sed potius inter
ea quæ ad cultum (κόσμος) pertinent. De iis tantum
disserendum quæ frequentissime in sepulcris occur-
runt inquirendumque et ubi disposita quæque fæ-
rint et quid in iis Bæotorum Tanagræorumque pecu-
liare fuerit.

§ 4. — *Qui disposita fuerint ea quibus constat fune-
bris supellex.*

Patet imparem in variis sepulcris esse supellecti-
lem : nullum vidi cui simul infuerint quæcumque
supra laudavi. Sunt in quibus nihil aliud est nisi vas
vile, sunt in quibus una lucerna, sunt in quibus

nihil. Et mortuorum sedes inter se differunt : vel inter mortuos pauperes a divitibus discernas.

Dispositam esse funebrem suppellectilem et intra sepulcrum et extra.

Intra sepulcrum. — I. Plerisque sepulcris vas fictile inest (œnochoë), vile non depictum : quod plerunque ad mortui pedes, in dextro sepulcri angulo, iacet.

II. Quod ad cetera pertinet, promiscue vel in medio sepulcro vel in extremis partibus iacent. Plura in medio et ad mortui caput.

Utrum omnia ista Tanagræi ordine disposuerint an incuriose iecerint dubitatum est. Quod ad figlina sigilla, animadvertendum primo et natura loci corrupta fuisse multa, ubicumque humidior erat locus vel gravior terra : quod agricolas non fallit, et cum Herneris indagationibus adessem me præmonuerat ille locum parum integris adservandis sigillis aptum esse. Neque alioqui dubium est quin antiquitus Tanagræi multa fregerint : sunt enim quorum fractura antiquissima est (1), sunt contra quæ diligentissime vultu averso ad sepulcri latus instituerunt, quo tutius terræ superiniectæ vel decidenti resistere possent. Alii alia incuriosius, ita ut iustum ac sollemnem usum discernere non liceat.

Quod ad vasa, parvos alabastros parvosque cantharos vel alia, permulta sæpe in eodem sepulcro re-

(1) Cf. J. Martha, *Catalogue des figurines en terre-cuite*, Introduction, p. x, *in*it.

perta fuere. Anno 1879 vascula x vidi in quodam sepulcro, quorum tria ad caput iacebant, sex ad pedes, unum in medio. Qui custodiæ Skhimatarianorum museorum præfectus est, peritissimus quidem nec non ambitiosissimus, rettulit se ccc alabastros in uno vidisse! Lolling xxxiii, xl (1). Constat Tanagræos vascula ista conicere solitos fuisse: quos equidem videre mihi videor circumstantes conicientesque ad mortui latus et vascula et sigilla, quo modo nunc vel flores in sepulcrum congerimus cum in eo sunt ut id occludant, vel cippo coronas affigimus.

Immo! compertum habemus parum Tanagræorum interfuisse figlina sigilla et vasa integra remanere: cum enim cremaretur cadaver, funebrem suppellectilem in ignem inferebant, cumque ossa pia manu collecta in hydriam congererent, semusta vasa sigillaque superaddebant (2).

Extra sepulcrum. — Quin vasa sigilla omnis denique funebris supellex quasi mortui res fuerit, nil dubium est: cum igitur oporteat eum omnia ista in promptu habere, qui fit ut extra sepulcrum vasa sigilla lucernæ reperta fuerint?

Etenim omnia ista sæpe ad latera sepulcri occurrunt: quæ discernis cum opercula abstuleris, ita ut ibi disposita fuerint priusquam occlusum fuerit sepulcrum. Non iam in medio sepulcro latent ista sed

(1) Cf. Lolling, a Kekulé laudatum. *Proœmium*, p. 11 et 12.

(2) Occurrunt in iisdem sepulcris sigilla igne fuscata aliaque incolomia: hæc, cremato tantum cadavere, in sepulcrum coniecta fuere.

velut in umbra sepulcri, tute quidem cum non adpareant nisi adaperto sepulcro. — Sepulcrum anno 1879 præsentem me effossum : *Intra* : in angulo versus occidentem spectante vas fictile strigilisque manubrium inerant; in medio sepulcro sigillum corruptum et vas vilissimum (σωληνάρι). *Extra* : ad latus versus septentriones spectans sigilla duo inter quæ vir pallio involutus brachioque lævo columnæ innixus; ad latus versus orientem sigillum alterum. Variis locis vasa quinque non depicta. Ita plura extra quam intra sepulcrum iacebant.

Quid igitur! Cum parum verisimile sit aliis licuisse, aliis vetitum fuisse vasa sigillaque medium in sepulcrum conicere, nihil interesse videtur inter ea quæ intra et quæ extra reperiuntur. Res tamen notatione digna est : antiquitus enim, a principio, mortuo destinata erat funebris supellex, mortuo magnum illud vas quod aqua repletum fuisse videtur, mortuo lucernæ et sigilla, quæ omnia in promptu haberet, quibus uteretur, necesse erat. Quod paulatim obscurius factum est mentesque fugit rerum ratio causaque : usus autem restitit. Vasa igitur et sigilla usque contulerunt et in sepulcra congererunt Tanagræi, quare id facerent obliti adeo ut extra sepulcrum deponerent.

§ 5. — *Quid Bœotorum Tanagræorumque peculiare in funebri supellectili fuerit.*

Argilla (κέραμος) factam fuisse plerunque funebrem supellectilem non est cur miremur, cum iam rettule-

rimus eam in Tanagræorum regione abundare omnesque Aulidis incolas figulos (κεραμεῖς) fuisse, Aulida autem Tanagræorum tanquam Mycalessum et Harma fuisse (1).

De vasis.

Discernenda I quæ non depicta, II quæ depicta.

I. De illis pauca dicenda. Fere omnibus sepulcris magna cœnochoë inest quam aqua forte replebant qua uteretur mortuus. Quam agricolæ κανάτι vocant, cumque sæpe integrum reperiatur domum ferunt et cotidie utuntur, quippe cui aqua infusa frigidior remaneat : et in mortuorum vasis bibimus!

Permulta alia sunt quæ agricolæ σωληνάρια vocant cum, ut e nomine adparet, fistulæ (σωλήν) formam referant.

II. Inter depicta vasa referendi : 1° Alabastri. Quos, cum plerunque venter præter modum emineat, κολοκυθάκια (id est parvas cucurbitas) agricolæ vocant. Paucorum extenuata est longiorque forma.

Plerique quattuor lanceolatis foliis decorati sunt, nunnulli avibus aut animalibus aut viris clipeo armatis. Argilla lutea est et admodum concocta ; color niger subfuscus, perraro ruber. Plerique 0,08 alti.

Quæ vasa asiatico more decorata vetustissima esse constat ; animadvertitque Stamatakis in quibus sepulcris permulta reperta fuerant occurrisse et vetus-

(1) Pausan., IX, 19, 8, in fine.

tissima sigilla. Nec dubium videtur quin apud Bœotos Tanagræosque ficta fuerint ea vasa (1).

2^o Multo notabiliores sunt lecythi quibus nigro colore depictæ figuræ insunt, cum in iis peculiare aliquid Bœotorum deprehendas.

Notabilior est α) et forma : venter enim multum eminent vasisque figura non cylindrum sed prope conum refert. Latiores sunt fauces quarum extremitas non ut in Atheniensium lecythis plana sed in speciem pulvini rotundata est.

β) et color : venter enim luteo flammeoque colore pictus est, non rubro.

γ) Cum venter multum emineat, eo fit ut colli pars inferior multo latior sit, et in hac parte quam palmis Athenienses decorare soliti sunt, figuras Tanagræi, vel homines vel animalia, depinxerint : sæpe stant duo viri pallio involuti lanceamque manu tenentes, inter quos palma vel interdum humana tertia figura stat.

Quanto maior atticarum lecythorum gratia ! Lecy-

(1) In parvo alabastro, qui Thespiis repertus esse dicitur et nunc exstat in museo Britannico, incisus est titulus artificis : Γαμέδης ἐπόησε Edidit de Witte, *Bull. de corr. hellén.*, II, (1878), p. 551. Cf. *I. G. A.*, 206. Idem titulus colore pictus bis legitur in cenochoë musei Parisini quæ Tanagræi reperta fuit (cf. de W., p. 548). Vetustior litteratura, nomenque bæoticum est.

Adde hos titulos in ventre tanagræorum cantharorum vel incisos vel depictos :

Δαλιόδορος *I. G. A.*, 126. Cantharus in Kokalio effossus.

Πρίκον *I. G. A.*, 126 α.

Ἄσο... *I. G. A.*, 181.

Ineditum adiungimus titulum cylici impressum, quæ in museo Skhimatariano adservatur : ΑΡΧΕΛΑ Ἀρχέλα. Excripsi et ectypo utor.

thos inprimis dico rubris figuris decoratas, non quod apud omnes diligentissime depictæ fuerint figuræ, sed omnium forma elegantior, gracilitate notabilis non ideo tenuis : Tanagræis defuit exquisita illa variarum partium convenientia et atticus modus, bæoticasque lecythos aptissime decet vox illa « crassas » quæ non aera decet neque, ut brevi liquebit, figlina sigilla (1).

Neque Tanagræis adeo sua vasa placebant, comperitque habemus plures apud Athenienses sibi ornatiores vasa comparavisse. Reperta enim in Tanagræorum sepulcris complura vasa fuere quibus incisus titulus atheniensis artificis Tisiæ (2).

Constat et attica esse vasa ista Tanagræ reperta, nunc in *Museo Societatis Archæologicæ* Athenis adservata : attica enim litteratura est.

(1) Bæoticis lecythis simillimæ sunt eæ quas in Sicilia, Gelæ, Agrigentique et Camerinæ descripsi (Eas dico quæ nigris figuris decoratæ sunt). Eadem est forma, cono quam cylindro propior, idem ventris color, eadem in inferiore colli parte ornamenta : vel aves, vel leones cæcæve contra incedentes, quæ vestigia dicas prioris quam asiaticam vocant artis, vel palmæ foliæ et ex utraque palmæ parte viri antistantes.

Adiciendum Gelensium Agrigentinarumque et Camerinæorum lecythos rubris figuris decoratas quam pulcherrimas esse et a vilibus istis quas prius memoravimus plane abhorrere : iam forma perfecta est. Quod ad Tanagram adinet, nullam vidi rubris figuris decoratam lecythum neque in museis Skhimatarianis neque Athenis in museo Societatis Archæologicæ.

De Bæotorum vasis vide G. Löschcke, *Archæologische Zeitung* (XXXIX, 1881), p. 32. *Dreifussvase aus Tanagra*.

(2) Vide Max. Collignon in *Bull. de corr. hellén.*, V (1881), p. 178-179. Sex vasis Tanagræ repertis inest nomen Tisiæ. Cf. Collignon, *Catalogue des vases peints du Musée de la Société Archéologique d'Athènes* (III^e fascicule de la *Bibliothèque des Écoles françaises d'Athènes et de Rome*), n. 787, 801.

1) *Cylix rubris figuris decorata. Vir lecto recubans cuniculo blanditur. Incisus titulus :*

ΕΤΣΙΣΙ]ΑΚΝΟΔΙΑΠΟ

ῥΩ παίδων κάλλιστε.

Athenis, E. A. A. Π. ΑΓ., 1392. Cf. Max. Collignon, *Catalogue*, n. 469.

2) Fragmentum canthari? ΝΟΜΟΕΜ Εὑ]νόμο ἐμ[ί.

Athenis, ibid. ΘΡ. Π., 189. Cf. Max. Collignon, *Catalogue*, n. 786. Integrum fragmenti initium vidit Collignon : ΕΥ.

3) Fragmentum canthari? ΝΟΜΟΕ Εὑ]νόμο ἐμ[ί.

His litteris superincisus et mixtus est artificis cuiusdam titulus : ΑΣΕΠΟΙΕΣΕΝ.

Fortasse Τεισί]ας ἐποίησεν.

Athenis ibidem, ΘΡ. Π., 190. Cf. Max. Collignon, *Catalogue*, n. 801, et tab. VII, n. 54.

De lucernis aliisque fictilibus.

Ut vasa, et lucernas in sepulcro ad usum mortui depositas reperiunt.

Multæ lucernæ Tanagræ repertæ fuerunt, pleræque autem rudiores non figuris decoratæ sunt quas agricolæ fastidientes iuxta sepulcra relinquunt. Notabilem nullam in museis Skhimatarianis vidi : vix decem Athenis in museo Societatis Archæologicæ descripsi, inter quas laudandæ :

1° Duæ lucernæ forma eadem impressæ et in speciem Æthiopis capitis fictæ. Longior est barba cuius

cacumini foramen inest unde stупpa exiret : in media fronte foramen alterum cui oleum infunderent. Nasus in latitudinem patens et resimus : genæ labraque multum eminentia. Caput ridiculum nec non perite quamvis celeriter fictum (1).

Alia lucerna idem caput referens Athenis adservatur, quam Thebis repertam fuisse aiunt. Neque eadem argilla est (2), neque forma quæ maior est.

2° Christianæ duæ lucernæ. Alteri impressæ litteræ X et P, id est Xρ[ιστός] (3); alteri crux quam nos crucem Hierosolymitanam vocamus. Rude opus.

Lucernas istas verisimile est Tanagræorum figulorum esse, cum tot vasa totque figlina sigilla effinxerint. — Cum in comœdia cui nomen est *Acharnenses* vir Bœotus Dicæopolicum forum adit, bœoticas res secum adtulit inter quas lucernalem stuppam (θρουαλλίδας) : cui Dicæopolis sua porrigit :

« *Dicæop.* Sed si quid vendis ex ceteris, dic.

» *Bœot.* Equidem hæc omnia.

» *Dic.* Cedo, quanti ea æstimas? aut alias hinc merces vis reportare domum?

» *Bœot.* Reportabo quidquid Athenis est quod non sit apud Bœotos.

» *Dic.* Apuas itaque emes Phalericas et asportabis, aut fictilia (κέραιον).

(1) Lucerna 0,037 alta ; 0,125 longa ; 0,07 lata. Argilla lutea est, nigro colore depicta.

(2) Thebana rubra est.

(3) Iunctæ litteræ. Lucerna, 0,035 alt. ; 0,097 longa ; 0,07 lata.

» *Bæot.* Apuas, inquis, aut fictilia? atqui hæc sunt illic (1). »

Compertum autem habemus Tanagræos et lucernas Athenis emisse. Repertum enim est Tanagræ (anno 1874) fragmentum lucernæ cuiusdam cui incisæ litteræ EY : quæ initium nominis esse constat Εὐτυχής quem figulum Atheniensem e multis lucernis novimus Athenis in Dipylo repertis. Eutychem et litteris EY et EYTY solitum fuisse suas lucernas obsignare constat (2).

Inter fictilia alia quæ mediis in sepulcris reperta colliguntur, notabiliora sunt et poma et panes, quibus simulacris sedaretur simulata mortui fames (3), et crepundia inter quæ equi rotis insistentes. Pauca in museo Societatis Archæologicæ adservantur.

Sepulcrum enim domus est : et lucernis opus est et victu.

De figlinis sigillis.

Tanagræorum figlina sigilla quis non novit? Tanagræ nomen ante hos decem annos paucis notum erat, nunc inter illustrissima : quod si quis enuntiaverit

(1) *Acharnenses*, v. 897 et seq. V. 901.

Ἀφύας ἄρ' ἄξεις πριάμενος Φαληρικὰς
ἢ κέραμον ;

ἀφύας ἢ κέραμον ; ἀλλ' ἔντ' ἐκεῖ.

(2) Cf. in museo Societatis Archæologicæ (II. A. Πήλινοι Λύχνοι), n. 314, 315, 332, 312, 370, 322, 306, 297. Obscenæ sunt pleræque Euty-chis lucernæ.

(3) De istis panibus, vide O. Rayet, in *Gazette des Beaux-Arts*, N. S., t. XII, p. 68.

velut excitatur exquisitorum sigillorum imago et memoria, quæ tot admirantur tot vehementissime adpetunt, ita ut Tanagræorum gloria rursus floruerit, merito quidem cum in hoc excelluerint.

Vulgus autem quique ingenuarum artium curiosiores sunt perfectis tantum operibus student, et vel omittunt vel ignorant quos proavos habuerint delicata illa sigilla, rudes quidem et informes quos in museis videre est inferiore autem et obscuriore loco coacervatos : quos dicas longo recentiorum Græciæ sacerdotum pallio indutos, adeo ut agricolæ cognominum usque studiosi necnon faceti παπαδες eos et παπαδῶας vocent (1).

Neque facile est doctioribus viris inter confertissimam illam sigillorum turbam ordines et velut agmina discernere et ætatem definire. Nihil delicatius est nihil sigillis incertius quæ non manu militari tractare oportet. Inquirentibus tamen hoc imprimis animadvertendum est pauca esse quæ nos « archaïca » sigilla vocamus ; deinde cetera similitudinem quandam præ se ferre, quasi pleraque, si non omnia, eodem tempore in lucem edita fuissent et efflourissent. Quod tempus recte definiit vir doctissimus et tanagræorum sigillorum peritissimus O. Rayet : is est quarti a. C. n. sæculi finis, quo tempore vivebat Alexander (2). Cui hactenus consentiunt omnes.

Nec dubium est quin omnino tanagræa sint ista

(1) J. Martha, *Catalogue, Introd.*, p. xvii. Figurines en galette.

(2) *Gazette des Beaux-Arts*, N. S., tome XI, p. 552 et 553.

sigilla, tanagræa argilla, tanagræorum artificum manu ficta (1). Nec non consentiunt omnes ea singularem sollertiam præ se ferre et mentem facetissimam curiosissimamque omnium, et habitus et vultus et vestium. Quantum excelluerint Tanagræi artifices si quis inquiret, duas easdem imagines conferat Thebani cuiusdam et Tanagræi manu factas, quas rettulit C. Lecuyer in *Indice Sigillorum* (2). Eadem est figurarum species, idem habitus at quanto mollius et expeditius est tanagræum opus! Quod quidem videnti sentire facile, verbis exprimere difficillimum est.

Altius autem scrutanti et quam ob causam Tanagræi figlina sigilla in sepulcra deposuerint inquirenti, impenitus est iter. Ardua res est, de qua luculenter alii disseruerunt (3), neque obiter neglegentiusque attingenda. Liceat tamen ea tradere quæ nobis diuturnus sigillorum et sepulcrorum usus contulerit. Constat sepulcrum nihil aliud nisi domum esse, quam et decorant et coloribus illinunt et vasis instruunt et lucernis et panibus et ovis, denique sigillis. Num consentiendum est sigilla figlina nihil aliud nisi funebrem supellectilem esse, id est sepulcris omnino destinata, quo modo lecythi funebria vasa sunt?

(1) De quibus vide J. Martha, *Introd.*, p. xiv et xvi. *Procédés de fabrication.*

(2) *Collection Camille Lecuyer. Terres-cuites antiques trouvées en Grèce et en Asie Mineure.* Notices par Fr. Lenormant, J. de Witte, A. Cartault... Paris, 1882, 1^{re} livraison, A. Déméter et Coré.

(3) E. Pottier in libro nuper edito: *Quam ob causam Græci in sepulcris figlina sigilla deposuerint.* Parisiis, ap. Thorin, 1883. Quem, cum libellum nostrum conscriberemus non legeramus.

Quin pleraque in sepulcris reperta fuerint, nil dubium est : animadvertendum tamen et in templorum ruinis occurrisse, Athenis in arce, in ruinis templi Æsculapio sacrati aliisque locis ubi mortuos nunquam sepultos fuisse constat (1); Deli in Serapidis templo (2). Sigillis igitur velati donis antiquitus usi fuere et in templis ponebant murisque infigebant (3): quid autem mirum si deorum dearumve imaginem sigilla referunt, cum eam referant et maiores statuæ in templis positæ, cum Apollini statuas Apollinis sacrare usitatum fuerit.

Ut diis ita mortuis quasi munera sigilla dedere; ut in templis ita in sepulcris posuere, a remotissima quidem antiquitate: reperta enim fuere sigilla vetustissima arte notabilia. Quæ deorum dearumque imagines referre adparet: antiquitus enim eadem et in templis et in sepulcris fuere (4).

Quid autem? En ultra incedenti tibi occurrit læta illa splendidaque sigillorum quarto tertioque a. C. n. sæculo fictorum turba! Occurrunt virgines mulieresque decore vestitæ flabellum manu tenentes, et matronæ superbiores, et pueri gallum ferentes innuptæque colludentes puellæ (5). Occurrunt et præco

(1) J. Martha, *Introd.*, p. vii, § 3. *Provenance des figurines.*

(2) Cf. Am. Hauvette-Besnault, in *Bull. de corr. hellén.*, VI, p. 312.

(3) Reperta enim sunt figlina capita, duobus foraminibus instructa quibus suspenderentur.

(4) Quæ capita supra memoravimus, duobus foraminibus instructa, et in sepulcris reperta fuere. Quid autem? Nonne templis destinata ut e foraminibus liquet fuerant?

(5) Vide L. Heuzey, *Les Figurines antiques de terre-cuite du Musée du*

et pistor panes in furnum condens (1) et tonsor operi intentissimus (2) tragœdique comœdique! Quid aliud nisi viventium turba per Tanagræorum vias et porticus, inter tabernas, in theatro, in foro, sub dio spirantium! Quos inter, velut errantes, agnoscuntur dii deæque. Quid mirum autem si deos effinxerunt figuli cum et deorum imagines ante oculos haberint et in templis et in foro? Humana pleraque sunt et ab omni religione aliena.

Quæ cum ita sint, quis asserat funebria esse recentiora ista sigilla? Quis ad sepulcrum et mortem spectare spirantes illas hominum figuras? Inquirentibus igitur quam ob causam quarto a. C. n. sæculo Tanagræi sigilla in sepulcra coniecerint, quid aliud respondendum nisi eos et patrum et proavorum ritu egisse? Id autem inter hos et illos interest quod sexto a. C. n. sæculo, quo tempore velut recentiores erant animi religioque mortui nondum obscura erat, figuli nihil aliud nisi deos deasque sepulcris tanquam templis destinaverunt, quarto autem omnia obtinuerunt et expresserunt: quorum in tabernis et deos et pectores promiscue inveniebant quibus mortuos donarent, quasi mortuo sigillis opus esset. Quam ob causam donarent eos ipsos fugerat: usus tamen restitit. Iam rettulimus,

Louvre. Paris, V° A. Morel et C^o, 1883. Vide imprimis tab. 17-39. — O. Rayet, *Monuments de l'Art Antique*, compluribus locis.

(1) In museo Parisino. Heuzey, tab. 39, 1; pag. 22.

(2) In museo Berolinensi. O. Rayet, *Monuments de l'Art Antique*, livraison IV, tab. XIII. Cuisinier et coiffeur, figurines de Tanagre (Musée de Berlin).

cum oporteret mortuum vasa et lucernas in promptu habere, Tanagræos tamen ea extra sepulcrum sæpe deposuisse, non quod mortuorum incuriosi, sed quod religionis obliti fuerint. Quemadmodum sæpius evanescere splendidi colores quibus ornata olim fuere sigilla, ita evanuit et religionis prudentia.

De nummis.

Perraro nummi in Tanagræis sepulcris reperti fuere: cum sexaginta sepulcra anno 1879 Herneris effoderit, unum tantum argenteum repperisse refertur.

Quo loco nummos posuerint, utrum ad latera mortui an in ore, incertum.

Adservantur tamen in museis varia tanagræorum nummorum genera, ita ut eos recte et ordine digerere a sexto a. C. n. sæculo usque ad Commodi regnum valuerit vir nummorum peritissimus Barclay V. Head, in libello cui nomen est: *On the chronological Sequence of the Coins of Bœotia*. Quem perlegat si quis nummorum ipsorum curiosus est; nobis autem inquirere satis erit an similitudinem quandam præ se ferant quæ nummis impressæ sunt imagines et quæ anaglyphis prius descriptis effictæ.

Iam animadvertamus humanas figuras in Tanagræorum nummis perraro occurrere, et post Christum natum primum adparuisse:

Asopi caput (*Barclay, V. Head, p. 97*),

Mercurium Criophorum (*B. V. H., p. 98*),

Dianam cum tæda currentem (*B. V. H., p. 98*),

Poemandri caput (Id., ibid.).

Bacchum cum Tritone (1).

Ita non nisi senior et ætate provecta, Tanagra conditorem Poemandrum nummis coluit et Mercurium Criophorum cuius templum in urbe clarissimum erat, cum deus in Cerycio monte natus haberetur.

Unus tantum antea nummus, scilicet obolus quinto a. C. n. sæculo signatus, vultum humanum (Gorgoneum caput) refert (*B. V. H.*, p. 23). Cum medio quinto sæculo Thebani Herculem mira arte exprimerent adversus geminos serpentes pugnantem, initio quarti sæculi Coroneæi caput Minervæ Ithoniæ, Haliartii Neptunum nudum pugnantemque, Plataenses Iunonis caput (2), Tanagræi quos fortunis variisque opibus abundasse novimus ceteris crassiores erant.

Hæc in Tanagræorum nummis referuntur :

A remotissima antiquitate (sexto iam sæculo) clipeus bæoticus rotundus, idem qui in ceteris Bæotorum nummis : quem Herculis clipeum aiunt (*B. V. H.*, vide tab. I, II, III, IV, V, VI).

Orbis vel rota in quattuor partes divisa (*B. V. H.*, p. 21, tab. I, n. 14 et 15).

Equi incitati pars anterior seu ad dextram seu ad lævam conversi. Interdum infrenatus equus, interdum humeris imposita laurea sarta. Interdum sub equo,

(1) Vide E. Curtius in *Archäologische Zeitung*, XLI, 1883, p. 255. *Dionysos von Kalamis*. Cuius statuæ imaginem referre ex hoc nummo studet Curtius. Nummus M. Aurelio regnante signatus.

(2) Iunonis statuam in templo Plataensium effinxerat Praxiteles (Paus., IX, 2, 5).

uva vel hedera vel globulus (*B. V. H.*, p. 27, tab. II, n. 4 et 5; p. 52, tab. IV, n. 16).

Gubernaculum (*Ibid.*, p. 55).

Vasa : amphoræ cantharique cum uvis.

Quid significant ista si quis inquirat, monet *B. Head* orbem vel rotam in vetustissimis Chalcidensium nummis adparere (1); equum cum Apollinis imagine sæpe coniunctum fuisse (2) cuius Deliacum templum celeberrimum erat (?). Quid mirum si gubernaculum expresserunt, cum Tanagra portum Aulida habuerit totque Bœotorum civitatibus defuerit portus? Quod ad amphoras et cantharos et uvas pertinet, iam rettulimus Tanagræorum vinum notissimum fuisse.

Animadvertendum potius vasa amphoras et cantharos, orbis et rotas persæpe in sepulcralibus Tanagræorum cippis efficta fuisse, præsertim in maiorum ædicularum aetomatibus. Quod ad equum pertinet, quamvis nummos cum iis anaglyphis quibus equus insculptus fuit conferre nolimus, sit satis monere Tanagræorum ante oculos persæpe incitati equi imaginem occurrise.

De æreis.

Inter ærea, cistas strigilesque, nihil neque in Skhimatariensis neque in Atticis museis descripsimus quod laudandum videatur.

(1) *Barclay V. Head*, p. 22.

(2) *Ibid.*, p. 28.

CONCLUSIO.

Finem propositum attigimus cum Tanagræorum necropoleis et sepulera descriperimus, et cippos anaglyphaque olim supereminentia et funebrem supellectilem intus latentem. Colligentibus nunc quæcumque accuratius illa descripta de Tanagræis et de Bœotis nos docuerint, seges fortasse non tantum ampla videbitur : incertiora enim multa obscurioraque supersunt, ea imprimis quæ ad religionem pertinent. Quod ad artem spectat, facilius tamen erit, perlustratis bœoticis museis, veritatem adsequi. Diligenter igitur discernamus quæ dubitanda quæque certius asserenda nobis videntur, vel de religione, vel de arte apud Tanagræos et apud Bœotos.

§ 1. — *De religione.*

Prælaudandus est Plutarchus, qui asserit Bœotorum de mortuis leges non ab Atheniensium legibus abhorrere (1) : iamque rettulimus haud dissimiles

(1) In *Vita Solonis*, XXI, *in fine*.

apud Ceos fuisse, ita ut fere eadem in universa Græcia fuerint, liceatque ideo contendere eandem fuisse mortuorum religionem. Ne quis igitur singulariter aliquid a ceteris discrepare Bœotos præsumat quippe qui Atticæ proximi mediam Græciam incoluerint. Cum tamen ingenia et mores differrent, non fieri non potuit quin, quanquam mortuum eadem pietate reverentiaque prosequentibus, aliis alia simulacra effigiesque cariora facta fuerint et peculiariter, qua fecunditate Græcorum mentes erant, exulta. Quæ Tanagræis Bœotisque præsertim placuerint inquirenti spectanda inprimis cippi anaglyphaque.

De cippis. — Notabilissima laudavimus duo genera, scilicet cippos in altaris et in minoris ædiculæ speciem cæsos : quorum cum forma singularis sit, cum tofacei sint et vetustissimis litteris inscripti, tanagræi omnino sunt, Tanagræorum peculiare ac proprii. Quid in animo habuerint inquirenti, animadvertendum primo altaria vel inscripta sæpe mediis in sepulcris reperta fuisse, ita ut funebri suppellectili adnumeranda ea esse dicas et ad usum mortui comparata. Quid igitur? Nonne mortuus fictis istis altaribus ficta libamina infundet, quo modo lucernis vel vasis utitur intra sepulcrum iacentibus? Ne quis autem obiciat et extra sepulcra reperta fuisse altaria : rettulimus enim et intra et extra sepulcra depositam fuisse funebrem suppellectilem.

Constat titulos altaribus incisos vetustissimos omnes esse, adeo ut a remotissima antiquitate usitata ea fuisse adpareat. Inde cum iam tofo rarius uterentur,

cum fórsan et obliti fuissent quid prius in animo habuerint proavi, velut obsolevit ea forma : cippos quidem in altaris speciem cæsos apud Bœotos postea reperies, præsertim apud Thespienses Thebanosque, longissimo autem intervallo cum compertum habeas pleraque hæc altaria marmore ficta nec non anaglyphis decorata macedonicis temporibus recentiora esse. Quæ non iam mortuo destinata sunt, non iam mortui sunt, cum ipse heros habeatur libaminaque non iam altaribus infundat sed heroïs dei que instar accipiat.

Altaribus æquales sunt ædiculæ quas et tofaceas et parvas esse constat. Quid significant istæ, quid in animo Tanagræi habuerint, valde incertum. Asseramusne ad exemplar templi fictas fuisse has ædiculas, contendamusque mortui esse illud templi εἰδωλον funebrique suppellectili, quanquam nunquam in medio sepulcro depositum, adnumerandum? Quod verisimile nobis visum est, cum animadverterimus minoribus ædiculis sæpe defuisse titulum, ideoque non ad superstitium usum cæsas eas fuisse.

Altaria igitur et minores ædiculas, his remotissimis ætatibus cæsa, funebri suppellectili adnumeremus, cum illa sæpe medio in sepulcro lateant, his sæpe desint titulus mortuique nomen. Tanagræis ita placuerat, Atheniensibus aliter quippe qui cippis mortui nomen incidere soliti fuissent et cippos, luce et palam stantes, superstitibus et viatoribus conspiciendos præberent. Apud Tanagræos autem, et cippus mortui res est.

Progredientibus autem temporibus, cum maiores illas velut ostentationi comparatas struerent ædiculas,

quæ pleræque tofo constant, a priore usu paulatim abhorruerunt Tanagræi cipposque superstitibus et viatoribus quasi monumenta destinaverunt. Iamque lapide nigro et pentelico marmore sæpius utuntur : cipporumque formis nihil inest quod Tanagræorum Bœotorumve proprium dicas, nisi contendat aliquis nonnullos nigro lapide factos cippos priorum ædicularum aetomam referre (1) : quod quidem et in Atheniensium cippis animadvertas licet. Nihil iam igitur Tanagræorum proprium videtur : tempus est quo Tanagræi vel Athenienses artifices arcessunt, vel cippos et anaglypha ex Attica advehunt.

De anaglyphis. — Quantum difficile sit e mutis istis quos descripsimus cippis conicere quid de mortuorum condicione senserint Bœoti, satis liquet. At in anaglyphis spirant humanæ figuræ, hominumque vultus et habitus aliquid præ se ferunt, quod sentire non potest si quis attentius ea consideraverit.

Inter quæ laudavimus anaglypha, discernenda duo genera videntur quæ, quanquam dissimillima, bæotica sunt. Quid mirum enim si progredientibus temporibus senescentibusque animis, aliæ iisdem effigies cariores fiant! Quis contendat regionem eandem eadem usque dilexisse imagines, quis Atheniensibus ab initio placuisse supremum discessum effingere? Ut regio quæque sic fert ætas imagines suas.

I. Bœotis placuit viros representare baculo nitentes sæpiusque cum cane ludentes. Tria laudavimus

(1) Cf. tab. III, 16-18, 20, et tab. IV, 33-38, 40-45.

anaglypha, Orchomenium unum, alterum Korseis repertum, alterum nunc in museo Neapolitano adser-
vatum. Quorum duo (primum et tertium) velut agreste
aliquid præ se ferunt quod neminem fugiet : dicas
viros illos in feracissimis Bœotiae campis vitam de-
gisse, per quos insequente cane iter faciebant, stri-
dentibus undique cicadis (1) !

II. Bœotis præsertim placuit dissimillima altera
imago, quam permulta referunt anaglypha. Mortuum
iam heroa factum sibi finxerunt, ita ut, cum in prio-
ribus nihil nisi humani adpareat, in posterioribus
anaglyphis nihil fere insit quod non heroas deceat.
Rettulimus qua forma indutus incedat mortuus : vel
equo insidet ante altare supra quod equus pedem
attollit, vel stat iuxta equum inter adorantes.

Contendentibus anaglyphorum illa genera ætate
discernere non obliviscendum est mortuum sexto iam
sæculo nudum repræsentatum fuisse deorum in-
star (2), quinto quartoque, equo insidentem inter ado-
rantes vel sedentem adorantiumque libamina expec-
tantem. Id tamen asseramus recentiora esse pleraque

(1) Necnon animadvertite in sepulcrali anaglypho Tab. VI relato fictam
fuisse arborem.

(2) An et illæ statuæ quas « Apollinem » Tenæum, « Apollinem »
Orchomenium vocamus, deorum non hominum imaginem referant,
valde incertum. Quod ad « Apollinem » Tenæum adinet, nunc asse-
rendum sepulcralem statuam esse, cum supra sepulcrum quoddam ia-
ceret. Vide A. Milchhœfer, in *Archäologische Zeitung* (XXXIX, 1881),
p. 54. *Der « Apollo » von Teneæ*. Locum ubi reperta fuit statua diligenter
inspexit Milchhœfer (anno 1881), comitantibus agricolis quorum unus
indagationi olim adfuerat.

hæc anaglypha, quæ macedonicis et romanis temporibus præsertim floruerunt, cum iam senescerent animi faciliusque ad auctiora et grandiora inclinarent.

Id etiam inter priora posterioraque anaglypha interest quod illa plane bæotica sunt, hæc in multis aliis regionibus eodem tempore vulgata (1).

De sepulcris. — Quod ad Tanagræorum anaglypha pertinet, rettulimus nullum *in situ* repertum fuisse, rapta autem omnia a supervenientibus fuisse adstruenda vel occludenda aliorum sepulcra : nec non idem de cippis constat. Quid igitur? Qui factum est ut mortuorum diligentissimi quos lucernis vasisque et sigillis donabant, sepulcrorum adeo incuriosi fuerint Tanagræi? Ne quis autem contendat id non antiquitus usitatum fuisse : sepulcra enim vidimus cippis inscriptis operta, in quibus sigilla vetustioris perfectæque artis iacerent. Quid nisi credendum sepulcra non invisisse, non servasse, non incoluisse superstitem quemque, adeo ut rursus in mentem mihi veniant Luciani verba : καὶ στήλαι καὶ ἐπιγράμματα πρὸς ὀλίγον διαρκούντα, πῶς οὐ περιττὰ καὶ παιδιαῖς προσεικόμετα ;

§ 2. — *De arte.*

Cum Athenas invisit Dicæarchus, urbem statuis refertam esse non potest quin animadvertat, miraturque quantum apti sint Athenienses ad magnam cuique artifici conciliandam famam (2). Cum Bæotiam

(1) Vide L. Friedlænder, *op. cit.* (1847), p. 43 et seqq.

(2) *H. G. F.*, II, p. 255, § 3.

peragrat, Thespiensium statuas tantummodo laudat, quas externorum artificum plerasque esse rettulimus (1). Bœotis enim pæne defuerunt artium magistri, Bœotis defuit bœotica disciplina : quippe qui barbaros magistros advocaverint et sese externæ cuidam doctrinæ addixerint, quam atticam esse multis exemplis demonstravimus.

Non quod pluribus locis Orchomeni Lebadeæ Tanagræ antiquitus contenderint Bœoti quidam deos et mortuos bœotico marmore vel tofo effingere, quorum opera omnino bœotica esse fatendum est. Sed quam pauci fuerint quamque male res iis cesserit liquet, nec non constat a remotissimis temporibus atticos artifices inter quos Alxenora laudavimus Bœotiam obtinuisse incoluisse pentelicis statuis anaglyphisque instruxisse. Quod ad Tanagram adinet, rettulimus verisimillimum esse nullam ibi sculptorum officinam exstitisse, cum anaglypha cipposque sæpius Athenis sibi comparaverint Tanagræi. Quid igitur? Evolventi tibi quem de Bœotia conscripsit librum Pausanias, quot externorum nomina sculptorum occurrunt, Canachi, Calamidis, Myronis, Cephisodoti, Olympiosthenis, Strongylionis, Callimachi, Phidiæ, Alcamenis, Agofacriti, Scopæ, Praxitelis filiorumque eius, Lysippi, Eubulidis (ceteros omitto)? Inter quos veluti media in turba sparsos Bœotos quosdam videre licet, quos verisimile est atheniensibus magistris et ipsos usos

(1) *Ibid.*, p. 260 *init.* Locus vexatissimus est, quem collato Strabone (IX, p. 416 : αἱ Θεσπιαὶ πρότερον μὲν ἐγνωρίζοντο διὰ τὸν Ἑρωτα τοῦ Πραξιτέλου) legendum censemus...., καὶ ἀνδρίαντας εὖ πεποιημένους.

esse, quos constat sæpius attico marmore statuas suas effinxisse.

Quid tamen Bœotis Tanagræisque tribuendum, nisi vasa figlinaque sigilla quæ κέραμον vocabant? « Κέραμον ; aït in *Acharnensibus* vir Bœotus, ἀλλ' ἔντ' ἐκεῖ, atqui hæc sunt illic! » Nec non et vasa Tanagræos Athenis emisse constat. Figlina igitur sigilla tulit Bœotia, Tanagra imprimis cuius nomen e sepulcris velut effossum nuper ad lucem rediit. Quantum excelluerint inter cetera Tanagræorum sigilla quæ nullis aliis, ne Myrinis quidem, cedunt, satis constat; quanta recentiores admiratione ea prosequantur, neminem fugit : quam crediderim Atheniensibus olim ineptam visam fuisse, cum marmoreis statuīs anaglyphisque sub dio spirantibus potius inhiarent, figulosque (κοροπλάθους) despicerent (1). Quod si quis Atheniensium quarto a. C. n. sæculo Bœotiam inviseret, si Thespias Thebasve pergeret vel Tanagram, atticæ undique disciplinæ vestigia, atticæ statuæ, atticæ officinæ, atticum marmor occurrebant! Quid mirum si tardiores crassosque rideret incolas, quorum et dialecto delicatiores aures offendebantur!

Nobis autem, vel figlinorum operum curiosis studiosisque, mirari liceat Tanagræorum sigilla quæ in ore et fama iamdudum esse constat cum a figlinis sigillis (σχήματα) nomen detraxisse Skhimatarium vicum contendant (2). Immo! Tanagræorum, sinon

(1) Cf. Isocratem, *De Permutatione* (XV), 310, § 2.

(2) O. Rayet, in *Monuments de l'Art Antique*, livr. V, xiv, p. 4.

Bœotorum, partes tueamur. O facetissimos Bœotos qui ultro crimina omnia in semet converterent! « Narrabant enim apud ipsos urbium infortunia huiusmodi verbis : turpe lucrum sedem habere apud Oropum, invidiam Tanagræ, contentionis studium apud Thespias, proterviam Thebis, rapacitatem apud Anthedonem, curiositatem apud Coroneam, iactantiam apud Plateas, febrim apud Onchestum, stupiditatem apud Haliartum. Illa infortunia e tota Græcia in Bœotiæ urbes confluxerant (1)! » Quis istis fidem adhibeat cum Tanagræos nostros et ab invidiæ crimine Dicæarchus (2), et a crassitudinis bœoticæ tot figlina sigilla vindicent!

(1) *Dicæarch.*, p. 260 *init.*

(2) *Id.*, p. 257, § 9 et seqq.

APPENDIX

I

TITULI SEPULCRALIBUS TEGULIS IMPRESSI AUT INCISI.

De sepulcralibus tegulis, vide p. 64. Tegulae in museo Skhimatario adservantur. Tituli omnes inediti sunt.

1. In orbe (Diamet. 0,10) cantharus impressus, idem qui in permultis Bæotorum nummis (cf. Barclay V. Head, *op. cit.*, tab. III, 7). Ex utraque parte canthari, hederaceum folium pendet. Supra, inter eminentes vasis ansas, titulus vetustissimis litteris impressus. Et excrpsi et ectypo utor; litteræ 0,01 altæ.

ΣΑΣΥΡΘ Βρύσας (1).

2. Tribus tegulis rubro colore decoratis impressus titulus. Excrpsi et ectypo utor : litteræ 0,02 altæ.

ΣΟΙΖΟΜΑΔ Δαμόσιος.

Id est Δαμόσιος (τάφος). Cf. p. 72.

(1) Pars superior quintæ litteræ (α) non acuta sed rotunda est.

3. Tegula in Baliano campo inventa. Litteræ incisæ, 0,22 altæ.

DA Δα...

4. Tegulæ titulus impressus.

ΕΤΖ
ΑΦ Στεφα...

5. Quattuor tegulis impressus titulus.

ΦΙ
ΛΟ Φιλο...

6. Tribus tegulis impressus titulus.

Ι Φ Φιλ...
Λ

7. Duabus tegulis impressus tit.

ΑΛΦΙ Ἀλφι...

8. Tegulæ impressus tit.

ΑΛ Ἀλ[φι... ?

9. Tegulæ impressus tit.

ΟΙΔ Διο[v...]

10. Duabus tegulis impressus tit.

ΔΙΩ Δίω[νος ?

11. Tegulæ litteræ incisæ.

ΚϞΚ Κοκ...

12. Tegulæ impressæ litteræ.

EΛ **Ἐλ...**

13. Quattuor tegulis impressæ litteræ.

IT **Tι...**

14. Quinque tegulis impressæ litteræ.

IO **Oι... vel Ἴο...**

Non iam nomina neque nominum initia supersunt, sed singulæ litteræ. Utrum et nominis initium fuerint an ad id inscriptæ ut eadem tegulæ quam convenientissime aptarentur, incertum. Animadvertas licet quarundam litterarum formam esse vetustissimam (15, 16, 17).

15-16. Litteræ incisæ.

ΒΛ **B...** — **Β** **B...**

17. Litteræ impressæ. Utor ectypo.

Μ **M...**

18. Litteræ incisæ. **BB**

19-20. Litteræ incisæ. **Ε, ΕΕ**

21-22. Litteræ incisæ. **Θ, ΨΨ**

23. Litteræ incisæ. Utor ectypo. **⊥ ⊚** **Tη...?**

— Ut cantharo Brysas (1), alii figuli tegulas suas alia re velut obsignabant.

24-25. In orbe impressa ancora. — In orbe impressæ septem ancoræ.

26. In orbe (Diamet. 0,075) impressus vir fugiens manibus sublatis respiciensque, ithyphallicus. Satyrum dicas.

(1) Vide supra, n. 1.

Non enim tam rudis est imago quam ridicula : et nasus et barba (quantum discernere licet) præter modum eminent; grandes manus, tribus tantum digitis instructæ; crura longiora gracilioraque et flexiora quam ut ulli animali conveniant. Imago duabus tegulis impressa adservatur.

II

TITULI INEDITI DUO.

1. Lapis marmoreus, quadratus, tribus tantum partibus levis, 1,05 alt.; 0,465 lat.; 0,255 crass. Nunc in vico Skhimatario in aula ecclesiæ S. Taxiarchi. Exscripsi et ectypo utor.

Fronti dexteroque lateri litteræ incisæ fuere : in fronte autem, tantum attritus est lapis ut vix pauca nomina discernere liceat, litteris imparibus incisa : Ἡγησίας, Ἀριστ... Χαρι[x]λ[ῆς], Φανο[x]λῆς.

In dextero latere supra titulum incisa discernitur amphora (?). Et impares sunt litteræ.

	ΗΡΑΚΛΕΙΤΟΣ	Ἡράκλειτος.
	ΑΡΙΣΤ .. ΡΑΤΗΣ	Ἀριστ[οκ]ράτης.
	ΑΡΙΣΤΑΡΧ...	Ἀρίσταρχ[ος].
	ΑΜΥΝΤΑΣ	Ἀμύντας.
5.	ΦΑΝΟΝΙΚΟ..	Φανόνικο[ς].
	ΕΠΙΜΕΛΗΣ	Ἐπιμελής.
	ΒΙΟΤΤΟΣ	Βίотτος.
	ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ	Σώστρατος.
	ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ	Νίκανδρος.
10.	ΣΩΣΙΠΑΤΡΟΣ	Σωσίπατρος.
	ΓΕΝΝΑΙΟΣ	Γενναίος.
	ΕΡΑΤΩΝ	Ἐράτων.
	ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ	Διονύσιος.

	ΦΑΙΝΑΚΗΣ	Φαινάκης.
15.	ΠΑΡΑΜΟΝΟΣ	Παράμονος.
	ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΗΣ	Ἐπολλοφάνης.
	////Δ////ΟΝ////

	ΔΗΜΟΚΙΙ..	Δημόκρι[τος].
20.	ΠΥΡΡΟΥ...	Πυρροῦ[χος]?
	ΤΑΤΟΣΓ...	..τατος γ[αῦρος]?
	ΕΜΜΕΝΙ..	Ἐμμενί[δης]?
	ΓΑΥΡΟΣ	γαῦρος.
	ΕΛΠΙΝΙ	Ἐλπινικ...
25.	ΝΙΚΟΛΑΟΣ	Νικόλαος
	ΧΡΗΣ..	χρησ[τός].
	ΕΥΚΤΗΜ..	Εὐκτήμ[ων]
	ΓΑΥΡΟΣ	γαῦρος.
	ΑΜΦΙΚΡΑΤ..	Ἐμφικράτ[ης].
30.	ΝΙΚΩΝ	Νίκων.
	ΚΑΛΛΑΙΣΧΡ...	Καλλάϊσχρ[ος].

	ΓΑΥΙ..	γαῦρ[ος].
	ΕΥ...	Εὐ...
35.	ΘΕΟΔΩΡΟΣ ΧΡΗ...	Θεόδωρος χρη[στός]?

	ΕΥΚ..	Εὐκ..
	. ΓΑΥ..	..γαῦ[ρος]?
	ΦΙΛΟΣ..	Φίλος...

2. Lapis Pentelicus, superiore tantum parte integer.
0,29 alt.; 0,18 lat. Exscripsi et ectypo utor.

	ΑΚΑΡΟΝ	μ]άκαρον ?
	ΛΤΟΑΓΓΕ	κατ]ὰ τὸ ἀγγε[λ... ?
	ΟΚΑΠΛΑΟΥΣ	..ο καὶ πλουσ...
	ΣΥΠΟΤΟΥΑ	τοῖ]ς ὑπὸ τοῦ α..
5.	ΤΟΙΣΥΠΟΤΟΥ..	τοῖ]ς ὑπὸ τοῦ

	ΙΣΥΠΟΤΟΥ	το]ις ὑπὸ τοῦ
	ΝΘΗΚΕΥΘΙΣ	κευθι...
	.. ΡΤΟΝΦΡΟ	... τον φρο..
	ΕΙΓΝΩΣΙΝΤ	ει γνῶσιν τ..
10.	ΝΤΗΝΕΝΟ	ν τήν ἐν ο...?
	ΧΑΡΙΣ	χάρις.

VIDI AC PERLEGI :

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, a. d.
XVI kal. ian. ann. MDCCCLXXXIV,
Facultatis Litterarum in Academia Pa-
risiensi Decanus,

A. HIMLY.

ΤΥΠΙΣ ΜΑΝΔΕΤUR :

Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX CAPITUM

PROOEMIUM	1
---------------------	---

PARS PRIOR

De Tanagræorum necropolesi.	1
§ 1. Quibus in partibus sitæ fuerint Tanagræorum necropoleis.	3
§ 2. An liceat tres illas necropoleis ætate discernere.	9

PARS POSTERIOR

CAPUT PRIMUM

Quid supra sepulcrum et mortuum (ἐπὶ τῷ θανόντι) extiterit. De cippis et anaglyphis.	15
§ 1. Qua materia constant cippi.	16
§ 2. Quales formas cippi præbeant.	17
§ 3. De titulis sepulcralibus.	22
§ 4. Quomodo cippos decoraverint Tanagræi. De pictura et sculptura. De anaglyphis.	33
§ 4 (seq.). De anaglyphis.	36
De antiquissimo anaglypho. Dermyn et Kitylum nudos effectos fuisse.	38
Mortuum in herois speciem effingi. Mortuo libari. Mortuum vel equo insidentem vel iuxta equum stantem repræsentari.	44
De anaglyphis ex Attica advectis.	56

CAPUT II

De sepulcris. Quas formas præbeant sepulcra.	62
--	----

















§ 1. De sepulcrorum variis formis.	63
§ 2. An variorum sepulcrorum ætas definiri possit.	68
§ 3. An ordine disposita fuerint sepulcra.	69






CAPUT III












Quæ mediis in sepulcris deposuerint Tanagræi.	71
§ 1. De elatione apud Tanagræos (ἐκφορά)..	71
De elatione publico sumptu facta.	72
De elatione thiasotarum sumptu facta.	73
§ 2. De mortuo. Et humata et cremata fuisse cadavera.	76
§ 3. De funebri suppellectili. Qualis fuerit funebri supellex.	77
§ 4. Qui disposita fuerint ea quibus constat funebri supellex.	77
Intra sepulcrum.	78
Extra sepulcrum.	79
§ 5. Quid Bœotorum Tanagræorumque peculiare in funebri suppellectili fuerit.	80
De vasis.	81
De lucernis aliisque fictilibus.	84
De figlinis sigillis.	86
De nummis.	91
De æreis.	93
CONCLUSIO.	94
§ 1. De religione.	94
§ 2. De arte.	99
APPENDIX.	103
I. Tituli sepulcralibus tegulis impressi aut incisi.	103
II. Tituli inediti duo.	106


INDEX TABULARUM

- Tab. I. Tanagræorum necropoleis.
Tab. II-V. Cippi sepulcrales.
Tab. VI, VII. Sepulcralia anaglypha.












21




22




23




24




25




26




27




28




29




30




31




32




33




34




35




47




48




49




50




51



52



1



2

